

7840.57

2952

DEK

408,

DISPV TATIO DE PRAEDESTINATIONIS CAVSA.

D. D. DANIELIS NEIDINGERI
De Villinga Sueuiz, Sacr. Theol. Doct.

Aduersus disputationem Dñi Iacobi Hackeri

De eadem materia.

Pro sententia D. Thomæ, & Thomistarum: Scoti, & Scotistarum,
& aliorum ex liberalitate oriri affirmantium.

*Is qua temeritas, mendacia, & contradictiones aduersarij demonstrantur,
& veritas dictorum Doctorum clarè aperitur.*

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D. D. FRANCISCVM Gonzagam,
Marchionem Hostiani, sacri Rom. Imperij Principem,
ac Mantuz Episcopum, &c.



MANTVÆ,

Ex Officina Aurelij, & Ludouici Osannæ fratrum, Ducalium Impressorum.
M. DC. XIII. Superiorum permisso.

DISPUTATIO DE
TRAEDESTINATIONIS
C A V S A

D. D. DANIELIS NEIDINGERI
De Vilinga Sacer. Theol. Doct.

Adversus dissertationem D. J. Jacobi Hammi

de Electione

Proferenda Balthasar & Theophilus Scoti & Schellars

In qua tractatur de necessitate & contradictione verborum

Ab illis in Dissertatione D. F. A. N. de S. v. G. con-

stitutis in Dissertatione, in qua tractatur de



M. A. N. T. A. R.

Amstelredamum, in Officina Typographica, D. J. Jacobi Hammi, Typographi, Anno 1711.



ILLVSTRISSIMO,
AC REVERENDISS D.
D. FRATRI FRANCISCO
GONZAGAE,

Marchioni Hostiani, sacri Romani Imperij Principi,
ac Mantuæ Episcopo.



DANIEL Neidingerus Villinganus, salutem, & æternam
felicitem exoptat.



DVOBUS iam elapsis annis (Illustissime, ac Reue-
rendissime Princeps) Roma una cum admodum R.
P. Fratre Andrea Perruzzino ab Urciano Ord. Min.
Reg. Obs. Sancti Francisci, Friburgum Brisgoia, non-
nulla sua opera in lucem edendi gratia profectus, &
negotio infecto, una secum remigrare coactus. Cum
multi causam, cur hoc negotium ad exitum non fue-
rit perductum ignorantes, multa dicant. Hinc (ut
obtectatorum labia muta fiant) rationem reddere, in disputationem
de predestinatione Dni Iacobi Haxeri inuehendo, consultum duxi.
Etenim dicto Patri disputatio illa oblata, atq; sepe, & sepius, ut quid
de ipsa sentiret liberè fateretur, interrogatus, (auctoris ignarus) quam-
uis cuiusdam inter Germaniæ Theologos summum thorum accumbentis
esse, famam volare dicerent) responsum dedit; disputationem inconsi-
derantiam (grauissimis Theologis detrahendo) mendacia, atq; contradi-
ctiones continendo, non tantum in re esse, quantus de auctore ser-
mo erat, patefacere. Qua de re, auctor & D. Zimmermannus (quo-
rum librum Patris Urciani approbare, erat) certiores facti, ira accensè

non solum consensum typis depromendi, prestare recusarunt, at ne euulgaretur pro eorum viribus nixi sunt; hinc igitur factum est, ut eius opera lucem non viderint. Verum cum omnia à dicto Patre prolata, veritate comprobentur, (dicti Patris consensu accepto) contra illius disputationem scribere, ac rem sic se habere luce meridiana clarius ostendere, necnon perpetuæ posteritati mandare decreui. Caterum cum sub alicuius munimine in lucem quæstio mea exire debeat, sub Illustrissimæ D. Vestre exeundam existimaui. Non solum, quia ex Gonzagiorum Regali progenie, mutuis matrimonij cum Imperatoribus mixta, Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, ac Cardinalibus Illustrissimis, atque Reuerendissimis ornata, Illustrissimis Comitibus plena, Excellentissimis Marchionibus decorata, Serenissimis Ducibus septa; tot tantisque strenuis Heroibus (ad instar syderum in firmamento) micantibus, ut illa facilius sit, quàm hosce numerare, redundante, doctissimis, sanctissimisq; viris splendente, orta est; non solum quia sacri Imperij Principatu insignita, Episcopia dignitate decorata, scientijs ornata, atq; omnium virtutum genere referta; sed quoniam cum olim dictæ Religionis Dominatio vestra Frater, & Sancti Antonij Prouinciæ per multos annos Minister, totiusq; Religionis per octo annorum intervallum Generalis extiterit; unde partes vestre sunt dictæ religionis Doctorum tueri doctrinam, præsertim dicti Patris Andreae cum à Generali facultatem librum hunc in lucem edendi acceperit, atq; à grauissimis eiusdem religionis Theologis approbatus fuerit, ac tantæ utilitatis, quantæ primo quoq; tempore in lucem exeundo, vnusquisq; manifestissima cognitione assequetur. Et ne ingratitude notam incurram ob multa à Dominatione Vestra Illustrissima in me collata beneficia. Ut igitur à quibusdam canibus non pro veritate, sed pro consuetudine latrantibus liber incolumis reddatur, & ut gratitudinis meæ aliquale signum manifestetur; Illustrissimæ Dominationi Vestræ, qualis qualis sit, consecro. Superest ergo, ut ea benignitate, qua, ad se tanquam ad anchoram confugientes visceribus charitatis amplecti solet, & librum, & me amplectetur. Valeat ad annos Nestoreos, ac à Sole, illam spiritali luce sequente, ad altiora euehatur.

Datum Mantua, die 25. Maij 1613.



A P P R O B A T I O O P E R I S .

NOS infraſcripti, omnibus, & ſingulis, fidem facimus, & atteſtamur, qualiter ſilentio, ac attenti animo, diſputationem D. Danielis Neidingeri de Villinga Sueuicæ, perlegimus, & non ſolum nil, quod Sacra Romanæ Eccleſiæ, & fidei Catholicæ, ac bonis moribus aduerſaretur, animaduertimus, verum omni laudē, & luce dignam iudicauimus: ac proinde, vt typis de promoteretur, noſtram approbationem accommodauimus. In quorum fidem, noſtris proprijs ſubſcriptionibus illam muniuimus, & c.

Ego D. Archangelus ab Amicis Abbas S. Chriſtophori Mantuæ, ordinis S. Benedicli Congregationis Ceſtlinorum; confirmo vt ſupra.

Ego D. Hippolytus Andreaſius Mantuanus, ordinis S. Benedicli Congregationis Caſſinenſis; confirmo vt ſupra.

Ego D. Valerius de Stephanis Mantuanus, Canonicus Regul. Lateranenſis, & ſacra Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego D. Hugo Merlonus Carthuſienſis, Sac. Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Hippolytus Doneſmundus de Mantua, ordinis Min. Reg. obſ. Sancti Franciſci, ſacra Theologiæ Lect̄or Generalis; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Hippolytus Mercatus de Bononia ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſacra Theologiæ Lect̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Benediclus de Viterbio ordinis Seruorum, ſacra Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Philippus Tonina ordinis S. Hieronymi de Feſulis, ſacra Theologiæ Magiſter; confirmo vt ſupra.

Ego D. Franciſcus Turellus Mantuanus Canonic. Regul. Congreg. S. Saluatoris ordinis S. Auguſtini, Vicarius, & Lect̄or; confirmo vt ſupra.

Ego D. Fulgentius Lemma Clericus Regularis S. Mauritij Mantuæ, ſacra Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Baptiſta Ferrarius Mantuanus ordinis Carmelitarum, ſacra Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Peregrinus de Giauarettis Mantuanus ordinis Minorum obſeruan. Theologus, ac ſacrorum Canonum Generalis Lect̄or in Conuentu Sãcti Franciſci Mantuæ; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Dominicus Marconus Eſinus ordinis minorum Conuentualium S. Franciſci, ſacra Theologiæ Doct̄or; confirmo vt ſupra.

Ego Fr̄ Hieronymus Vulpus à Publica Mantuanus, ordinis Min. obſer. ſac. Theol. in Conuentu S. Franciſci Mant. Gñalis Lect̄or; confir. vt ſup.

Ego Petrus Carnoualius Mantuanus, ſac. Theol. Doct̄or; confirmo vt ſup.

Imprimatur.

Fr̄ Hieronymus Medices à Camerino, ſacra Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum, Inquiſitor Mantuæ.

Bartholomæus Barchinius Iur. Utr. Doct̄. Vicarius Episcopalis Mantuæ.

Correctio quorundam Errorum.

pagina 1. linea 3. pulchrum. l. 9. incolumem. p. 2. l. 21. operosior. p. 3. l. 9. sumit. l. 17. floccifacit. l. 36. occulto. p. 4. l. 5. innixa. l. 32. asciscit. p. 5. l. 27. eiecimus. l. 20. prophetauimus. p. 9. l. 28. niti. non potest. ergo. p. 10. l. 3. non nisi. l. 10. aquè. p. 12. l. 5. primum. p. 13. l. 13. præmium. l. 20. præsupponitur. l. 40. connexa. p. 14. l. 17. effectus. p. 15. l. 7. equum. p. 16. l. 1. adiutoria. l. 7. gessit. l. 17. Hackeri. l. 32. effectuum. l. 35. alijs. p. 17. l. 9. 11. 25. causa. p. 19. l. 11. transgredi. l. 15. adiunxit. l. 20. idem. l. 32. stipendium. p. 20. l. 2. 4. quo. p. 22. l. 15. tanta. l. 42. concurrant. p. 23. l. 5. commendans. l. 16. æquipolat. l. 32. ijs. p. 24. l. 5. Hieronymus. l. 6. græcum. l. 10. æelemosina. l. 15. 37. quo. p. 28. l. 3. hætenus. l. 35. feruiet minori. p. 32. l. 2. reddenda. l. 7. quo. p. 38. l. 20. hæresim. l. 37. prædestinatiuo. p. 41. l. 1. esto. p. 43. l. 4. minori. p. 46. l. 9. elabendi. 47. l. 14. desiderio. l. 3. facere. p. 48. l. 35. non; tollitur. p. 51. l. 25. per impossibile. p. 55. l. ult. Superiorum.

Pag. 53. linea 34. iste auctoritates addendæ sunt.

DE gratia Christi contra Pelag. & Celest. c. 4. refert Pelagij sententiam dicens. Nos (inquit .s. Pelagius) sic tria ista distinguimus etc. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, idest posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua hoc est velle, & esse ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt, &c. c. 5. Contra autem (inquit Augustinus) Apostolus Philip. 2. cum timore inquit, &c. Deus enim est qui operatur in nobis, velle & perficere, vel operari. Videte, inquit, si non Apost. gratiæ Dei futuros aduersarios Sancto spiritui tanto antè præuidit, quæ istæ, ita nostra esse voluit, tanquam ipsa, diuinæ gratiæ non adiuuentur auxilio, Deum in nobis dicit operari, hæc ille. Pelagius dicebat: Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd vero bene, aut male videmus, hoc nostrum est. Ideo Augustinus c. 15. inquit. Respondeat illi (.s. Pelagio) Psalmus 118. vbi Deo dicitur. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem; infra cur petitur, quod ad nostram pertinet potestatem; si Deus non adiuuat voluntatem? c. 16. sequitur. Quòd loqui possumus, inquit Pelagius, Dei est: quòd vero bene, vel male loquimur, nostrum est. Vnde Augustinus respondet dicens. Non hoc docet ille, qui loquitur bene: Matth. 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus meus qui loquitur in vobis, &c. c. 24. probat exemplo Regis Assyriæ. c. 25. incipit. Desinat itaq; iam Pelagius, & seipsum, & alios fallere. c. 47. clarius, perlegat totus iste secundus liber, & dilucidè ex Augusti-

gustino deducetur falsum esse ex illa, quam fingunt dispositionem in homine, Deum gratiam largiri, quæ cont. duas Epist. Pelag. lib. 1. ad Bonif. c. 3. vbi cum opiperè de hac re discussit in calce concludit. Nemo igitur potest habere voluntatem iustam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est gratuitam desuper gratiam; Quid clarius? sequitur c. 4. Hoc isti nolunt clari, & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrij, non ob aliud nobis hæc dicentibus indignantur, nisi quia gloriarri in domino dedignantur. c. 19. probat voluntatem ad bonam gratiam excitari, & de gratia, & lib. arb. c. 17. & de spir. & lit. ad Marcel. c. 7. 31. 34. & cont. duas epist. Pelag. ad Bonif. lib. 4. c. 6. & alibi sepe.

Additio ad paginam 40. & 41.

Quoniam Hackerus, post Vasquez, ex lib. 1. ad Simpl. quæst. 2. Augustinum, ex meritis præuisis homines à Deo prædestinari, sentisse dicit: & aliqui id concedunt, sed retractasse in Epist. 105. & 106. inquit: Ipse vero dicit non esse verum, quoniam in multis locis librum ad Simplic. commendat, & præsertim in lib. de bono perseu. c. 21. Ego autem ex eo loco, de contrario constare dixi, & probaui, vt ibi liquet, Nunc formalia D. Augustini verba asportare non alienum esse duxi, vt vnusquisq; aperte cognoscat ipsum, vel non legisse, vel saltem Augustinum non intellexisse, cum ibi, prædestinationem ex liberalitate Dei oriri elucere, ipsemet Augustinus dicat; inquit igitur Augustinus. *Videant, vtrum in primi libri posterioribus partibus eorum duorum quos mei Episcopatus initio antequam Pelagiana heresis appareret ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remansit aliquid, quod vocetur in dubium gratiam Dei non secundum merita nostra dari: & vtrum ibi non satis egerim etiam initium fidei esse donum Dei: & vtrum ex ijs quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat: & si non sit expressum etiam vsq; in finem perseuerantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum, & gloriam.* Hæc Augustinus; Qui cum dicat ab eo esse perseuerantiam, à quo est prædestinatio ad gloriam, & hoc, ibi elucescere, & si non sit expressum; Cum dicat ergo ab eo, à quo est gratia, & fides, & prædestinatio, ab eodem esse perseuerantiam, & cum ista, & alia duo ex gratia fore dicat, pariter & prædestinationem ex gratia esse sentire pater. Nam dicere ab eo est perseuerantia donum, à quo prædestinatio ad gloriam, si prædestinatio esset ex meritis nostris præuisis, & ex istis esset perseuerantia, cum proportionaliter loquatur? vnde cum perseuerantia donum Dei sit, & ex Dei gratia per Augustinum, & prædestinatio, per eundem, est ex liberalitate; quamobrem planè constat Hackerum, ex illo libro ad Simpl. colligere, quòd Augusti-

gustinus nec feminavit, immò nec somniauit, vt ipsemet in citato loco ab Hackero expressè promit. Caterum, vt de hac re D. Augustini mentem clarè habeamus, ea quæ adiecit perpendamus. Sequitur ibi. *Beinde ipsam epistolam quam iam contra Pelagianos ad S. Paulinum Nolanum Episcopum feci, cui Epistola contradicere modo ceperunt, nonne ante annos plurimos edidi? Eam quoq; inspiciant, quam dedi ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, quando aduersus Pelagianos acerrima conflictatione certauimus, & talem reperient, qualis illa est ad Paulinum. Unde recolant aduersus hæresim Pelagianam, iam ante aliquot annos ista dicta esse atq; conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est: quamuis neminè velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione cepisse: quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine vlllo errore scribendi iam in ista ætate venisse. Sed interest quantum, & in quibus rebus erretur, & quam facile quisq; corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bone quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies vltimus vitæ huius inuenerit, vt adiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quam puniendus potius iudicetur. Hæc Augustinus. Quibus verbis remittit se ad ea quæ in Epistolas ad Paulinum, & ad Sixtum scripsit, & hic confirmat, & dicit se errasse in multis, præsertim in hoc, & velle retractare errores, & dedita opera, retractationum libros componere. A sententia ergo prima, in quam fuit, ex præuisis operibus Deum prædestinare, & in illis epistolis, & hic, & in lib. 2. retract. c. 23. recedit: ex quo vltimam ac veram, & firmam de causa prædestinationis Augustini sententiam fuisse, & esse, ex mera Dei munificentia, planè constat. Facit quodc. 18. huius libri tradit, dicens. *Vnde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ. sicut ait Apostolus Rom. 11. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hoc quod ait præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit, infra, præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse factururus: hoc est ergo prædestinauit, sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit: Hæc ille. Vnde habetur post prædestinationem præscire, ergo si per Augustinum post prædestinationem præscit, iam non ex meritorum præuisione prædestinat. De præd. sanct. c. 10. Quo circa præd. Dei, quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi præparatio: gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.**



DISPUTATIO

DE PRAEDESTINATIONE,
D. D. DANIELIS NAYDINGHERI
DE FILINGA, SAC. THEOL. DOCT.

Aduersus disputationem Hackeri .

*Pro sententia Alexandri Alensis, D. Bonauenturae,
Richardi, D. Thoma, & Thomistarum;
ac Scoti, & Scotistarum .*



QVAM verum sit illud eloquentiae Patris dictum; Omnes trahimur ad scientiae cupiditatem; in qua excellere pulcrum putamus: ex hoc liquet, quod, cum homines tantae haebitudinis existat, vt rationem reddere nequeant, cur paleae hiberno tempore tanto calore polleant, vt poma à congelatione defendant; in aestate verò tanta frigiditate valeant, vt niuem à Solis ardore incolumen reddant, illamq; còseruent; & nihilominus incomprehensibilia Dei iudicia inuestigare praesumant: Cur istum praedestinet, illum verò non . quid? & causam reddere inconsultè audeant, scilicet, id ex meritis prauiis procedere, atque fieri; ac tantum sibi arrogent, vt M. Sententiarum, Alexandrum Alensem, D. Bonauenturam, Richardum, D. Thomam, & Thomistas; Scotum, & Scotistas labefactare non pudeat: vt videre est in disputatione de praedestinatione D. Iacobi Hackeri. Is enim pag. 3.

num. 11. multos ex gratuita Dei bonitate, & non ex meritis præuisis, Deum prædestinare sentientes, refert inquiring: *Theologi communiter concludunt, omnium effectuum prædestinationis, seu prædestinationem, ut ad omnes suos effectus relata, nullā esse posse causam, vel rationem in ipso prædestinato, sed eam merito, ac gratuito diuine voluntatis beneplacito tribuendam esse.* D. Thom. 1. part. q. 23. art. 5. & 3. cont. gent. c. 161. Caietanus Ferrariensis, Sylu. Capreolus cum D. Thoma. M. Senten. in 1. dist. 41. Alensis p. 1. q. 28. memb. 3. art. 3. Bonauent. in 1. dist. 41. art. 1. q. 1. & 2. Rich. eadem dist. art. 2. q. 1. Scotus in 1. dist. 41. q. unica, & alij plerique. Ab his num. 23. defendit, aiens: *His tamen non impediētibz, opposita sententia, quæ præuisionem meritorum prædestinationi gloriæ præmittit; ita ut Deus neminem æterna, ac efficaci voluntate ad gloriā elegerit, nisi præuio meritorum, quæ ex gratia facturus erat, respectu, ut solandis, & in spem salutis liberiore excitandis hominum mentibus aptior est, ita semper verior mihi visa est.* Nunc quid de illis dicat, quomodo eos irrideat videamus. In primis de eorum sententia num. 12. ait: *Quæ doctrina verissima quidem, & scripturæ sacræ prorsus consentanea est.* Infra: *Quia tamen omnes prædestinationis effectus simul confundit, & miscet &c.* Est verissima, & scripturæ sacræ consentanea, sed confundit insimul effectus. Pag. 9. num. 26. inquit: *De Patribus, & præcipue D. Augustino, res est operesior. Huius enim vel sola authoritas non probè ponderata, aduersarios ad tam morosam oppositæ sententiæ propugnationem videtur rapuisse. Verum si scripta Augustini, & mentem accuratius euoluas, facile ipsum nec contrariæ sententiæ fauere, & nostram luculenter asserere deprehendes.* Quibus verbis, hocce Doctores, nec Augustinum probè ponderasse, nec accuratè legisse asserit, & per consequens negligentia, nec non ignorantia notam illis inurit. & id egisse sibi ascribit, & vendicat, quàmuis nusquā (vt in secundo articulo ostēdetur) viderit. Pag. 10. num. 31. scribit: *Varias aduersarij, ut hæc D. Augustini testimonia vel eludant, vel à vero sensu detorqueant, ineunt vias.* Ac si dedita opera dicti Doctores tanta sanctitate fulgentes, tanta doctrina pollentes D. Augustinum à vero sensu detorquere studuerint. num. sequenti ait: *Alij consitentur quidem Augustinum libro illo questionum, quas iunior ad Simplicianum scripsit, ita sensisse, sed ætate postea pronèctiorē, retractata prima opinione, oppositam docuisse. Hoc autem unde erunt? cum nec minimum in D. Augustino appareat retractationis illius vestigium.* Et num. 33. sequitur: *Adde, nullum ex omnibus Augustini, quorum nihil retractauit, operibus produci locum posse, unde contrarium aliquando docuisse redarguatur. Quæ enim pro se aduersarij, ad comprobandam sine meritis antecedentibus electionem, afferre solent, non de electione ad gloriā, de qua agimus; sed de electione ad gratiam loquuntur.* Et in hoc loco ignorantes ipsos prædicat, cū de

qua electione affatus fuerit Augustinus. intellectu non perceperint, vo-
eiferetur. Sed an retractauerit primam sententiam, an aliud, an aliter
docuerit, an illis locis de electione ad gratiam, vel de electione, ad glo-
riam fuerit locutus; in sequenti articulo luce meridiana clarius pate-
bit: Pariter dum nimium sibi summit, ac super ipsos, & ceu ad astra
se effert, grauissimo lapsu ruere patet, dū Augustini opera præ manibus
non habuisse apparet. At sequamur, & quid de alijs loquatur animad-
uertamus. *Alij* (inquit num. 43.) *huc eunt, ut quid Augustinus de*
electione ad gloriam senserit, non satis constare dicant: sed hi id tan-
tum efficiunt, vt in exploranda D. Augustini mente laborem se defugisse
probent. Magnum quippe in hoc, laborem ipse impendit, omnes
quidem neruos intendit, pro suis omnibus laborauit viribus. Num.
47. Suarez infra dignitatem tractat, dicens, Noua philosophia est.
Cum sua ita sit antiqua, vt ab Aristotele repudiata, atq; reiecta fuerit.
Num. 57. similiter illum spernit, vt videre est: *Nam* (dicit ibi) *& hæc*
instantia friget, quam sic repello. Quemadmodum & Gregorium de
Valentia pag. 32. nu. 94. floccifacit his verbis: *Alterum* (scilicet colligi)
nec sententiam Gregorij de Valentia commodissime sustineri. Is enim
Tom. 1. comm. Theolog. q. 23. punt. 4. conclus. 2. tria aserit, quæ rem præ-
suis intuenti merito displicent. In principio ait *Sanam, & solidam de præ-*
destinatione doctrinam: Ac si D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Scoti, &
aliorum infirma, imbecillisq; foret. In præfatione ad Lectorem, in
quo Caluinistas iudicat, se ipsum condemnat, nam in ratione prædesti-
nationis à Dei secretis stetitisse videtur, & si in re (vt suis vtat verbis)
tam ardua fas est, ride. subdit: *Quæ spreta nugarum, & errorum fece,*
seriam, & sanam de abditissimo hoc mysterio doctrinam è puris scripturæ
sacræ, Conciliorum, Patrum, & rationis fontibus, tibi sitienti veritatis
Lectori propinaret, præsens suscepta disputatio est. Cum tamen nulla
sit sacræ scripturæ auctoritas, quæ ex meritis præuisis hominem præ-
destinari sonet, at quam plurimam (vt passim videbimus) ex Dei libe-
ralitate id fieri cantent. Nulla Conciliorum determinatio, nec vlla ap-
parens ratio, ne dum vera: sed meri cauilli sunt, nil prorsus rationis ha-
bentes. Immo ex eius positione, si causam meritoriam dicunt præui-
sæ operationes, sequitur error; inquit D. Bonauentura in primo Sen-
tent. dist. 41. super litteram: Si rationem congruitatis, sic non dicit er-
rorem, sed temeritatem quandam habet, quia occulto Dei iudicio niti-
tur reddere rationem. Verum quid est dicere: *Quæ spreta errorum fece,*
ac nugarum, sanam doctrinam de hoc abditissimo mysterio propinat; quæ
aliter sentientium, nugæ, & fex est sententia? At D. Zimmermani sen-
tentiam, & approbationem contemlemur, dicit ergo in calce operis.

*Subtilis, & elegans hæc disputatio, viam persequens, quam fides ape-
rit, munit ratio, in abstrusa prædestinationis sine offensione penetrat.*

Disputatio

4

Dignissima quæ idem Mysterium anxie scrutantibus, lumen prælaturæ appareat. Sic cenſeo. Ioan. Andreas Zimmerman. s. s. Theol. D. & professor facultatis Theologicae Decanus in Academia Friburg. De qua ſententia (tanquàm præcipitanter à leui, ſuſpenſoq; pede ambulante, lata, fallisq; allegationibus inixa) de nullitate inſtatur apud omnes Theologiæ profellores, quandoquidem nec fides ex meritis præuiſis fore aperit, nec ratio munit, ac in abſtruſa prædeſtinationis cum offenſione penetrat, Dei profundiffimo iudicio rationem reddere præſumens; & non lumen, ſed tenebras ſcrutantibus affert. Vnde Auguſtinus tract. 26. ſuper Ioan. ait: Quare hunc trahat, & non alium, noli iudicare ſi nõ vis errare. In hac enim materia magis conducit ſimplex ignorantia, quàm temeraria ſcientia. Hinc nil certi promere ex mea ſententia proſector, & in omnibus me ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Catholicæ ſubmittere, omniaq; ſubiicere: Cui, & ſcripturæ ſacræ D. Auguſtino, atq; rationi, magis contentaneum eſſe, ex dono Dei gratuito homines, Angelosq; prædeſtinatos eſſe, q̄ ex meritis præuiſis, ſentire. Sed priuſquàm ad id offendum descendam (cum omne æquiucum priuſ ſit diſtinguendum, & poſtea definiendum) quatuorplex ſit prædeſtinationis, de qua ſit altercatio, & difficultas; quid ſit; qualis ordo ſit, explanabo.

Sciendum tamen in primis eſt, in diuinis vnum tantum intellectus actum, vnamq; voluntatem eſſe; quo intellectus actu, diuinam eſſentiam, quæ primum, & adæquatum illius obiectū eſt, intelligit; qua mediante (cum cuncta ratio intelligendi ſit) intelligit creaturas, quæ ſecundaria obiecta ſunt, & non motiue, ſed terminatiue ſolum, & hoc non propria virtute, ſed eſſentiæ diuinæ, in qua relucent. Iſte actus vnicus eſt, at tamen ex vario ſcitarum rerum ſtatu, (vt Theologicis vtar vocabulis) pluribus nominibus nuncupatur. In quantum enim ſe ipſum cognofcit, ſapientia dicitur: In quantum & præterita, & præſentia, & futura intelligit, vocatur ſcientia: In quantum, quæ in mundo fiunt, bona, malæ ſint, reſpicit, viſio appellatur: vnde ſcriptum eſt: Oculi Domini ſuper bonos, & malos. Vt cunctis rebus eſſe naturæ tribuit, diſpoſitio nominatur. Vt effectum gubernandi dicit, prouidentia nomen ſibi aſciſit. Si, vt futura poſſibilia intuetur, præſcientia nomen ſibi vendicat. Si, quæ benè fiunt, nomen approbationis ſibi aſcribit. Si, priuationem gratiæ, atq; gloriæ alicuius, reprobationis nomen ei attribuit, & reprobatio vocatur. Si, verò donationem gloriæ, & gratiæ ad gloriam conſequendam, prædeſtinationis appellatur. A præ, quod eſt, ante & deſtinationis liberè à voluntate præſinita.

Quæ duplex eſt, (vt laconicè procedam) ſecundum præſentem iuſtitiã, & eſt, qua, quis (& ſi æterna reprobatione reprobatus) pro aliquo tempore præſentis vitæ in Dei gratiam reperitur; vt Iudas, de quo Ioan. 17. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perdit

de Prædestinatione.

5

perditionis; unde liquet pro aliquo tempore fuisse in gratiam cū alijs, cū ex eis perierit, sed de his hæcenus. Alia verò est prædestinatio æterna, & est determinatio alicuius ad æternam gloriam, ab æterno, decretata, atq; sancita. & de hac est quæstio: An Deus hominem ex præuisis meritis, vel ex sua bonitate prædestinet. Nunc ad quid est, descendamus, vt perfectam sciētiam (eo modo quò possumus) habeamus; etenim vnumquodq; arbitramur scire, cū causas primas, prima principia, vsq; ad elementa cognoscimus, 1. phi. 1. c. 3.

Prædestinatio ista igitur in lib. de præd. sanct. ab Augustino sic definitur. Prædestinatio est propositum miserendi. In lib. de bono perseveran. ita. Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei. De fid. ad Pet. Prædestinatio est præparatio gratiæ donationis. Definitur etiam sic. Prædestinatio est certa Dei cognitio electionis diuersorum ab æterno, & firma eorum in libro vitæ conscriptio, præparatio gratiæ in præsentis, & donatio gloriæ in futuro. Singula verba perpendamus.

Dicitur, æterna Dei cognitio; unde obseruandum est, duplicem cognitionem à sacris Theologis assignari, videlicet simplicis intelligentiæ, & complacentiæ, seu approbationis; quandoquidem prima cognitione tum bonos, tum malos cognoscit. Secunda verò cognitione bonorum solumodò notitiam approbationis habet, quæ distinctio lepidè ex cap. 10. Matth. elicitur, vbi Christus inquit: Ego cognosco oues meas. Et cū cognoscat & non suas, operæ prætium est, sciētiam statuere, quæ cognoscit suas, & aliam ponere, quæ, non suas etiam oues intelligit. Quapropter quando ait: Cognosco oues meas; cognitione approbationis intelligendum: alias vero cū pariter noscat, cognitione simplicis intelligentiæ cognoscere statuendum. Item Matth. c. 7. habetur: Multi dicent in illa die, Domine, non ne in nomine tuo demonia eijcimus, in nomine tuo profetauimus? infra. Tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, scilicet notitia complacentiæ, quoniam alia notitia benè cognoscebat. Luc. 16. Diuitis nomen silentio pertransit, quoniã reprobatus erat inquit Chrysostomus. & Psal. ait: Nomen impiorum peribit. Dicitur; Electionis: quoniam ex multis est segregatio: iuxta illud Matth. Simile est regnum cælorum sagenæ misclæ in mari ex omni genere piscium congreganti, elegerunt bonos in vasa, malos aut miserunt foras. Omnium: Ecce ad salutem vocatio voluntate antecedenti, iuxta illud Apost. Deus vult omnes homines saluos fieri. At vocatio, quæ ex pluribus certa electio est, solum prædestinati vocati sunt, auctore Apost. Rom. 8. Quos prædestinavit, hos, & vocauit. Hinc dicitur. Multi sunt vocati, id est vocatione generali; pauci verò electi, id est segregati voluntate efficaci. Dicitur; Diuersorū. scilicet & ex Angelis, unde Apoc. c. 5. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, &c. Et ex hominibus: Redemisti nos Domine in sanguine

tuo,

ritio, ex omni tribu, ex omni lingua, ex omni populo, & fecisti nos Deo nostro regnum. Dicitur: Ab aeterno. In Deo namq; nec prateritum, neq; futurum ponitur, sed præsens, & vnum nunc aternitatis cuiuslibet parti temporis coexistens, in quo nunc aternitatis omnia nouit; & si in tempore esse habuerunt, nihilominus ab aeterno cognita fuere, cognitumq; esse habuere: quemadmodum enim res artificiales duplex esse habent, vnum in artificis mente, aliud in se, & reali existentia: (Domus namq; ad extra, fit à domo ad intra,) ita creaturæ cunctæ duplex esse habent; vnum ideale, & cognitum in mente diuina, vnde Ioan. Quod factum est in ipso vita erat: & aliud in esse realis existentia: istud in tempore, illud verò ab aeterno. Dicitur. Firma eorum in libro vitæ conscriptio, ad differentiam libri delebilis, & exprimendum librum indelebilem, & voluntatem Dei efficacem, & prædestinationem in sensu composito. Sequitur. Præparatio gratiæ in præsentia. Quoniam, veluti gloriam in futuro præparauit; ita & media ad eam perueniendi destinauit: gratia namq; medium est, ad gloriam perueniendi, dicente Apostolo. Quos prædestinavit, hos vocauit, scilicet gratiam, & fidem præparando, atq; offerendo, sine quibus ad gloriam peruenire haud possibile est. Quos vocauit, hos & iustificauit, scilicet fidem, nec non gratiâ conferendo. Adijcitur: Donatio gloriæ in futuro, vt ex Dei munificentia fieri, promat. Ex dictis quid sit probè summitur verum, & Scoti definitionem aggrediamur, paucis verbis causas omnes essentielles comprehendentem.

Prædestinatio (inquit Scotus) est ordinatio electionis, à diuina voluntate alicuius naturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam. Obserua omnia, si omnes vis noscere causas. Est ordinatio electionis à Diuina voluntate. A diuina voluntate; ecce causa efficiens. Alicuius naturæ intellectualis; ecce causa materialis. Nam causa obiectiualis, & materialis, circa quam actus prædestinationis tendit, est ipsa natura intellectualis, quæ ad gloriam prædestinatur, scilicet humana, & Angelica. Ad gloriam; ecce causa finalis. Formalis verò est prædestinationis ordo, est ordinatio. primò namq; & principaliter prædestinatus, ad gloriam, tanquàm ad suum finem prædestinatur. Secundò ad fidem, & gratiam, tanquàm ad radices meritorum ordinatur: nam finem volens, si ordinate vult: primò vult finem, deinde media ad illum finem. Hinc est, quòd Deus homini primò finem, scilicet gloriam velit, deinde fidem, gratiam, bonum liberi arbitrij vsùm, quæ media sunt ad illum finem ordinata, ac sub prædestinatione cadentia (vt ita loquar.) quemadmodum ergo ad gloriam prædestinat, ita ad meritorum radices, sine quibus (vt dixi) nemini gloria tribuitur. Tandem gloria ex meritis actualiter confertur, vnde obseruandum est: Ordinem retributiuum ordini prædestinatio aduerfari. Nam vbi prædestinatio ordo, à finis præuisione

hone incipit, & ad merita tendit: Ordo retributiuus, ab operum executione initium capit, ac ad finis consecutionem progreditur. Istos ordines non animaduertentes multi, deceptos se sentiunt, secum ipsis cōsiderantes ex operibus gloriam decerni, ordine prædestinatio, ex meritis fore decretatam autumant: quod à veritate prorsus alienum est; quoniam ordine prædestinatio primò finem, deinde media statuit. . . Hosce ordines apertè habemus Matth. c. 25. vbi Saluator ait: Venite benedicti patris mei, possidete vobis regnum paratum à constitutione mundi: Esuriui, & dedistis mihi manducare &c. Dum ait: Venite possidete regnum paratum à constitutione mundi; ordinem prædestinatio promit. Adiciens: Esuriui, & dedistis mihi manducare &c. ordinem retributiuum palàm facit.

Iam ex dictis satis perspicuè esse potest, quid sit prædestinatio, quæ eius causæ, & ex mera Dei bonitate oriri. Nunc ad quæstionem accedamus; & quoniam de graui re agitur, hinc dilucidè, enodatèq; procedendum. Ut igitur clarè progrediar, in tres articulos controuersiam istam secabo. In primo Hackeri, ac aliorum de prædestinatione referam opiniones, & auctoritates, necnon rationes, quibus suam muniunt sententiam. In secundo, veram cum suis probationibus recensabo, & multas ineptias, mendacia, ac contradictiones Hackeri promulgabo. In tertio cauillis suis, ac aliorum satisfiet.



Articulus primus.



QUANTVM ad istum articulum attinet, multas de causâ prædestinationis opiniones reperiri dico; D. n. Bonauentura in primo Sent. dist. 41. q. D. Thom. p. p. sum. q. 23. art. 5. causam assignarunt extrinsecam, necnò vniuersalem, videlicet, vt in prædestinatis Dei misericordia, in reprobis verò eius iustitia niteret. Sed cur in illis misericordia, in istis verò iustitia refulgeret, vlla ratio assignari valet, inquit D. Thom. ; D. Bonauentura adesse tradit, at occultam fore, nosq; præterire: Guiliel. de Rub. in primo, dist. 41. q. 1. art. 1. merita Christi causam meritoriam prædestinationis esse, tradit. Pelagiani, bona opera præuisa causam esse voluerunt; in quorum sententiam olim fuit Augustinus, at retractauit sententiam, opinionemq; mutauit, vt dicitur.

Quamplu-

Disputatio

Quāplurimi Patres ex præuisis operibus nasci arbitrari videtur: Chry-
 soltomus primū in epistola ad Rom. aiens: Qua igitur de causa Ia-
 cob quidem amori, Esau autem odio habitus est? qua de causa hic fer-
 uiebat, ille autem imperabat? quoniam quidem hic malus erat, ille autē
 bonus erat, quamquā illis nondum natis? idem sentit in epist. ad E-
 phes. 1. & hom. 3. 1. & 36. in Matth. & hom. in Ps. 115. Consentit Orig-
 lib. 7. in epist. ad Rom. exponens illud: An non habet potestatem figu-
 lus. & lib. primo in epist. ad Rom. Hyeron. q. 10. ad Hedib. explanans
 illud: Nunquid iniquitas apud Deum? Subscribit Ambros. in dicta
 epistola, declarans illud: Is qui secundum propositum vocati sunt fan-
 cti, dicens: Illi quidem secundum propositum vocantur, quos creden-
 tes præsciuit Deus, ut antequā crederent scirentur. Quos præsciuit
 sibi deuotos ipsos elegit ad æterna præmia. Theod. i com. epist. ad Rom.
 c. 8. congruit dicens: Quorum propositum bonum Deus præsciuit, eos
 ab æterno prædestinavit. His astipulantur Oeucum. in collectan. ex-
 planationum in Paulum, explicans illud: Quos autem prædestinavit.
 Sedulius in collect. epist. ad Rom. Theodolus in collect. eiusdem epist.
 Theophilatus ibidem. Iacobus Carpentrastris Episcopus, lib. 2. epist. ad
 Rom. Secuti sunt ex Theologis; Henricus de Gand. Occam, Thom.
 de Argen., Greg. Alfons. Baconit. Gabriel Biel. Vasquez, & aliqui alij,
 sed absque fundamento, quibus adhæret Hackerus his auctoritatibus,
 ac rationibus ductus, prout nu. 24. dicit: *Ea longè, AIT, solidiora huic,*
quā contrariæ sententiæ suppeditant scriptura sacra, Patres sancti, inter
eos primus Augustinus, & ratio. Sequitur: *Et quidem prædestinationem*
gloriæ ex meritis consentaneam esse scriptura sacra, ipsa passim testatur.
Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum
à constitutione mundi; Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Quibus
verbis (AIT) causa parati electis ab origine regni, id est æterna, & efficaci
Dei voluntate præfiniti in ipsa electorum merita refertur. 1. ad Corinth. 2.
Oculus non vidit, &c. Quæ preparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Iac. 2.
Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes re-
gni, quod repromisit Deus diligentibus se. Quibus locis, AIT, electio ad re-
gnum paratum, & promissum fidei, operibusq; dilectionis, manifestè tribuitur.
Huc referri possunt ea omnia scriptura testimonia, quæ vitam æter-
nam nemini reipsa, nisi ex gratiæ meritis conferri statuunt. Matth. 5.
19. Marc. 10. Luc. 10. Ioann. 3. 15. & 14. Iac. 2. 8. 2. Pet. 10. Nam, inquit,
eandem esse rationem temporaria donationis, & æterna, ac efficaciæ præsi-
ationis, ut si in tempore gloria nulli datur nisi ex meritis, etiam ab æter-
no nemini, nisi ex meritis sit prædestinata &c. Infra, nu. 26. & 27. pro-
bat auctoritate D. Augustini, dicens: De Patribus, & præcipuè D.
Augustino res est operosior. Infra, Verū si scripta Augustini, & mē-
tem accuratius euoluas, nostrā sententiam luculēter asserere deprehendes.

Lib.

de Prædestinatione.

Lib. 1. ad Simplic. q. 2. inquit: Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio. i. Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis, sed quia illud manet, ut iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum. Hæc Augustinus. Vbi dicit Hackerus: Cum distinguat electionem ad gloriam, à proposito iustificandi, & illam ex hoc ortam affirmet, atque ideo homines à Deo electos ad vitam æternam, quia Deus post iustificationem, inuenit opera bona in ipsis, quæ eligeret ad gloriam: euidenter sanè electionem ad regnum Cælorum præmissio meritorum examine factam esse docet. Probat deinde duabus rationibus pag. 17. num. 52. & 63. Iam vero (ait num. 51.) sententia nostra duplici ratione demonstratur. Num. 52. Prima petitur ex vi, & ratione voluntatis efficacis: prædestinatio enim gloriæ, ut de ea agimus, est voluntas efficax conferendi vitam æternam; ac proinde ea ita hominibus ab æterno gloria decernitur, ut re ipsa, & in tempore euentura est. Infra: At gloria nulli hominum adultorum re ipsa, & in tempore nisi ex meritis gratiæ euenit: non enim datur nisi ut corona legitime certantibus proposita, 2. ad Timoth. 2. & 4. Jac. 11. Pet. 5. Apoc. 2. 3. 4. ac proinde ut merita præsupponens: igitur ab æterno etiam nemini fuit, nisi ex meritis gratiæ decretata, & prædestinata.

Altera ratio num. 63. ponitur, dum dicitur. Altera ratio aduersam partem absurditatis poscit. Nam si Deus ex se solo, & ante omnem cooperationis humanæ præscientiam efficaciter hominibus gloriam præfinit, alterum consequens est, aut in hominis libera potestate, ut salutem consequatur, non esse; aut efficax Dei decretum fieri posse irritum. Utrunque absurdum sic deduco. Nam posito illo decreto efficaci, & antecedente, vel potestatis, cui gloria præfinita est, gloriam non consequi, vel non: Si non potest; igitur posito decreto illo, non erit liberum homini salutem consequi, siquidem libertas in utramque partem nisi posse debet: Sin potest, ergo posito, & stante decreto illo, fieri potest, ut is cui gloria efficaciter præfinita est, gloriam non consequatur; ac proinde ut efficax Dei præfinitio fiat irrita. His auctoritatibus non probe intellectis, atque istis duobus cauillis potius quàm rationibus. se palmam tulisse arbitratur. Ceterum, ut omnis ambigendi ansa è medio tollatur, & cætera quæ pro hac opinione fiunt argumenta asportabo.

Ansel. in lib. de verit. c. 12. ait: Omnis voluntas, sicut habet quid, ita habet cur. sicut enim aliquid vult, ita propter aliquid vult. Igitur, & diuina voluntas: si ipsum prædestinat, & vult beatum; propter aliquam causam vult, sed alia nisi prædestinati merita assignari potest: erga propter præuisa merita ipsum prædestinat.

Item. Sicut propositum in proposito, ita oppositum in opposito: At Deus propter demerita reprobatur: ergo, Deus propter præuisa merita prædestinat.

Præterea. In rebus omninò æqualibus electio nominari non debet. Igitur si Deus istum, & non illum prædestinat, aliqua est prædestinati, à non prædestinato disparitas, at alia nisi merita esse valet; ergo Deus propter merita prædestinat, & ex meritis proinde prædestinatio est.

Amplius. In omnibus diuinæ misericordiæ operibus, iustitia concurrat; ergo aliqua debet dari congruentia ex parte illius, qui ex diuina misericordia prædestinatus est.

Præterea. Si ex sua munificentia alicui gloriam decernit, alteri verò non, Deus summè bonus non apparet, cum non summè liberalis, nec summè communicatiuus; liquet, quoniam & illi equæ, cui non decernit, bonum suum decretare posset, ex quo sine omni ratione in alio, prædestinat, & eadem ratione alterum prædestinare valeret.

Item. Esto, quòd duo in naturalibus æquales à diuino apprehendantur intellectu, suoque voluntatis actu, nulla (ex parte ipsorum ratione habita) vnum prædestinat, alterum vero reprobat, acceptator personarum esse videbitur, contra illud Act. 10. In veritate comperi, quia non est acceptator personarum Deus. Consequentia liquet. Quoniam æquales, quantum est ex parte ipsorum, ad finem æqualiter ordinabiles, æqualiter ad finem non diligit: & hinc personarum acceptator videtur. Beatitudinem alteri absque ratione præferendo.

Item. Deus antecedenti voluntate omnibus gloriam præfinit. 1. Tim. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri: quæ voluntas cum ante meritorum præuisionem sit, sequitur, quòd cum non præfinierit omnibus voluntate efficaci gloriam tribuere, nullum ad eam voluntate efficaci sine meritis elegerit, ergo prædestinatio est ex meritis præuisis.

Præterea. Quandoquocumque media sunt causa moralis, & quasi dispositio necessaria illius, qui finem adepturus est; in illo, qui huiusmodi finem tribuere debet, intentio efficax secundum rationem prior esse nequit, quàm talia media intelligantur: Sed in casu isto, merita, & media ad gloriam, sunt causa moralis: Ergo intentio efficax gloriam concedendi, ordine intentionis, præscientiam meritorum antecedere minimè valet. Maior declaratur: Nam medium morale non operatur ex sola virtute intrinseca, vt media physica; sed vt relatum ad voluntatem illius, qui intentum finem est concessurus, quemadmodum in merito, quòd ab alio acceptandum est, liquet: & idem suo modo de imperatione morali dispositione. Vt autem hæc per alterius voluntatem, & ab altero acceptentur, vt præcognoscantur opere pretium est. Igitur, qui huiusmodi præmium concessurus, ac largiturus est, quòd ante præuisa merita efficaciter velit, alicui impossibile est. His rationibus nonnulli ex meritis præuisis hominis prædestinationem fore, arbitrati sūt, perperam tamen, vt in sequenti articulo apparebit.

Articulus secundus.

IN hoc articulo; Deum, non ex meritis præuisis; at ex sua munificencia prædestinare, dilucidè demonstratur. Verùm cum nonnullæ sacræ scripturæ, ac Sanctorum auctoritates obstare videantur, hinc vt res enodatè pateat, ad distinctionem operationum Dei, atq; hominũ descendendum non alienum esse duco. Obseruandum igitur est, Dei operationes erga electos in duplici differentia reperiri; alias gratiam gratum facientem præcedentes, veluti prædestinatio, electio, vocatio, & iustificationis orsus: aliàs dictam gratiam sequentes, veluti gratiæ, & iustitiæ augumen, gloriæq; adeptio: pariter & hominum operationes sic se habere. Et causam, aliam meritoriã, aliam verò finalem esse. Ad interrogationem igitur, an hominum operationes sint prædestinationis causa, ac aliarum Dei operationum. Vel de causa meritoria, vel finali quæritur. Si de causa meritoria; aut de operibus ipsam gratum facientem gratiam præcedentibus; aut eam sequentibus inuestigatur. Si de secundis, aũuo: si de primis penitus abnuo. Etenim, vt Scotus ait: Deus, in primo signo, Petrum simplici intelligentia, vt beatificabilem intelligit: In secundo signo, illum voluntati defert: In tertio signo, ipsam, voluntas ad gloriam prædestinat: In quarto demum, scientia approbationis Petrum prædestinatum esse cognoscit, & intuetur; quapropter ex mera bonitate prædestinatum esse, liquet. Si de causa finali sermo sit; in sententiam affirmatiuam venio: sed si de causa meritoria in Dei intentione, nequaquam. cum ex sua liberalitate faciat, vt rationibus, & auctoritatibus probabo.

Et primò, ratione ordinati agentis demonstrò sic. Ordinatè agens, primò vult finem, deinde ea, quæ sunt ad finem: propositio est Scoti, dist. 41. primi. q. vnica. & dist. 20. secundi. q. 2. & dist. 7. tertij. q. 3. & dist. 19. eiusdem. q. vnica. & dist. 32. quæst. vnica. D. Thomæ, p. p. sum. q. 23. art. 4. & Arist. 2. phys. à tex. c. 77. ad 85. vbi decem modis, naturam, artem, animalia, & cætera omnia propter finem agere, & operari, probat, & per consequens finis appetentiam, appetitum mediorum priorum esse, tali ratiocinatione. Quæ nec à casu, nec à fortuna fiunt, propter finem fiunt: at res naturales nec à casu, nec à fortuna fiunt: ergo propter finem fiunt. Ars propter finem agit. Aranea propter finem

telam texit. Hirundo propter finem nidificat. Materia est propter formam. Peccatum haud in arte (si propter finem non operaretur) contingeret. Tandem (alii silentio inuolutis) concludit. Qui finem auferunt, naturam tollunt. Et 3. Eth. hanc propositionem promulgauit; Quod est ultimum in executione, est principium in intentione. At Deus est ordinatè agens (vt lippis, atq; tonforibus liquidò constat;) igitur Deus, primò homini vult finem, deinde media ad illum finem. Sed finis hominis est gloria, media vero opera meritoria. Igitur Deus primò homini finem, quàm opera meritoria præfinit, quo stàte, ex præuisis operibus (etiã ex gratia factis) non prædestinare palam est, cum primum ad gloriam, quàm ad merita prædestinet. Ab hoc gordiano nodo vt se expediât, & extricet Hack. num. 72. ait. *Rationi ita satisfiit; Nam verum quidem est in eo, qui sibi ipsi finem aliquem per media consequendum, sibi præstituit, voluntatem efficacem finis, priorem esse voluntate mediõrum, &c. Falsum autem in eo, qui non sibi, sed alteri proponit finem per modum mercedis. Is enim nunquã efficaciter præmium decernit, nisi digno, & merenti, &c.* Quæ responsio est Vasquez, ni fallor, cui à Suarez lib. 3. opusc. c. 19. num. 13. satisfiit etiã exemplis, & etiã num. 23. Ego autem ad rem nostram, illum incassum laborare assero, & quo magis se explicare nititur, eo magis se implicare prædico: quandoquidem & in illo, qui per modum premij alteri finem proponit, propositionem veritate comprobati, docet Saluator, Matth. c. 20. vbi primo de denario diurno fædus, pactum, lex, necnon conuentio est, deinde de labore, atq; operatione: dicitur enim: *Cõuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineã suam. Cõstat igitur primum finem per modum mercedis propositum esse, deinde media ad illum adipiscendum. Quod dilucidè in casu nostro D. Augustinus de fid. ad Pet. explicat dicens.*

ILLI autem cum Christo regnabunt, quos gratuita bonitate prædestinauit ad regnum: Ecce primò finis propositus, atq; intentus, Narrat deinde media secundariò intenta dicens. Quia tales prædestinando præparauit, vt regno digni essent: præparauit utiq; secundum propositum vocandos, vt obediant: præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, vt bene viuant: præparauit autem glorificandos, vt Christi hæredes effecti, regnum

coelorum sine fine possideant. Ecce palam per Augustinū, voluntatem efficacem mediorum, posteriorem esse voluntate efficaci ipsius finis.

Quoniam responsio sua voluntaria est, à quibusdam modernis absq; aliqua ratione introducta, hinc futilem, ne dicam fatuam, esse ac proinde non recipiendam, at parui pendendam fore, luce meridiana clarius (vltra ea, quæ dicta sunt) patefaciam. Matth. c. 19. Saluator his verbis paciscitur: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Vnde Augustinus hæc verba cum Deo facit. Dà, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti: & eundem cum ipso sermonem habet Cæsarius hom. 13. At in pacto duo hæc sunt, præmium, s. & meritum, quæ corelatiua cum sint, nulli dubium est, quin vnum, aliud inferat, quemadmodum pater, filium. Si pater est, ergo filius est. Ita, si præmium est; ergo & meritum est. & è contra. Attamen hac inferentia (vt ita loquar) non obstante. sicuti pater natura filium præcedit, & dignitate, ita præmium ipsum meritum in intentione, & excellentia. Quod cui libet sic ratiocinanti liquidò constabit. Quare est meritum? In ordine ad præmium. Ecce quòd in intentione primò apparet præmium. Quid est causæ, cur præmium propositum sit? Vt homines illud promereantur, & lucrentur: Igitur si mereri debent, præsupponitur præmium; quapropter finem in intentione semper peiorem esse, manifestum est. Et hoc tam in merente, quàm in proponente veritate comprobatur. Nam Princeps quando brauium currenti impertire statuit, quamuis, nisi cursum conficenti nõ tribuat, nihilominus in intentionem primò brauium dare gerebat. Amplius Arist. 2. phi. t. c. 24. inquit. Finis est nobilior his quæ sunt ad finem. ratio? quoniam omne independens nobilius est dependente; finis ergo cum independens sit, & media dependentia: (media nanq; propter finem sunt, & non è contra) hinc finis præstantior ijs, quæ sunt ad finem. præterea. Omnis causà mouens, & non mota, est nobilior causà mota: At finis est causà mouens non mota; media vero mota; ergo finis est excellentior ijs, quæ sunt ad finem. res sic se habens, inquam. Finis est independens, ac mouens causà, & non mota, media vero ad finem dependentia, & mota: igitur finem ad quem tendunt, ordinataq; sunt, & dependent, omninò supponunt. Si dicatur ratio ista solum finem medijs præstare, eaq; præcedere, non autem in intentione priorem esse voluntate mediorum concludere. Quamobrem media intendit, nisi in ordine ad aliquem finem? quomodo ad finem dirigit, vel ineffaciter vt vis mente agitare, & ante oculos ponere, si primò finis in mente non datur? si eo modo, quo res sunt conexe; à Deo eodem modo intelliguntur, (vt tu affirmas:) si inter se sic media, & finis ordinata sunt; vt ad finem dependeant, & supponant, quo pacto in Dei intentione, (quo

vis modo excogites, aut efficaciter, aut ineffaciter,) media non intelliguntur ad finem dependentia, & ipso fine posteriora esse in suppositione? quis aliter valet cogitare, animoq; volutare, nisi cerebrosus? Certum est, quoddam, quae nec à casu, nec à fortuna fiunt, propter finem fiunt: At Deus, media illa efficacia à casu statuere dicendus non est, ergo efficaci voluntate, propter finem, media illa sancit, deliberat, & decernit. si sic, igitur primo finem in mentem habet. Id, & ex gratia gratum facientis definitione possem ostendere; Nam cum sit habitus mentis vniuersaliter totius vitae ordinatiuus, finem, ad quem dirigit, statuere, opere pretium est. Et ex diuina providentia aperire valerem: quandoquidem Deus omnium rerum curam gerit, ac providentiam habet, verum providere, media ad finem praeparare est: igitur primo finis in mente supponitur. Ita maior propositio vera est, vt, non animaduertens, ipsemet negando, confirmet. An verum sit, lubet ex eiusdem verbis percunctari. Num. 6. & 96. ista media efficacia praedestinationis effectus esse dicit; Igitur causam, & praedestinationem supponunt, hoc non in finis adeptione (sic enim finem antecedit.) Igitur in intentione, aliter effectus causam praecederet, eaq; prior esset, qd omnino implicat, ergo &c. Praeterea, nu. 13. scribit. *Vt igitur plamori via progrediamur in praedestinatione supra definita, duos diuinae voluntatis actus, quorum alter circa finem, qui praedestinati proponitur; alter circa media, quibus finis obtinendus est versatur, distinguimus.* Ecce ab eo primo finem, deinde media proposita esse, cum dicatur: *Quibus finis obtinendus est.* Si finis obtinendus, igitur reperiebatur. Si dicat, hoc verum esse de illo, qui sibi per media finem consequendum praefinit. Et etiam in proponente inquam ego: Oportet enim, quod illum finem primo proposuerit. Clarius ab eo habetur num. 120. dum in medium signa originis profert, dicens. *In primo signo statuit Deus procreare genus humanum proposito fine beatitudinis, quem omnibus simplici voluntate desiderauit. In secundo signo hanc voluntatem subsequuta intelligitur voluntas conferendi ius, in paradiso gratiam & iustitiam originalem; praemisso simul liberi arbitrii usu, vel obediendo retinendam, vel prauaricando profligandam.* Ecce aperte, quod in primo signo, Deus finem intendit, & in secundo media; & quis est ita mente captus, vt primum, secundum praecedere, non agnoscat? & Haec erum sibi ipsi obfistere non videat? Si non sibi aduersari dicat, quoniam vbi in primo signo de voluntate inefficaci; in secundo de voluntate efficaci loquitur: At repugnantiam non abducit, tum, quia num. 13. inquit. *Nam cum Deus praedestinat utrumq; definit, & gloriam, & media gratiae ad illam, utroq; efficaci diuinae voluntatis actu praedestinatio continetur.* Vnde constat etiam efficaci voluntate, Deum primo finem, deinde media praedestinati sancire: Tum etiam, quia in *Mo primo voluntatis inefficaci signo, in quo omnibus gloriam optauit*

intelligitur, & Sæctus Petrus, cui primò finem, deinde media definiuit, sicut, & cæteris, & nil aliud voluntas efficax addit, nisi, quòd ipse efficaciter consequatur. vt si dixerim; Princeps brauium præcurrenti liberè proponit; quã plurimi accurrunt; & omnibus voluntate inefficaci vult, at efficaci, vt dixi, præcurrenti; seruum in oculis ferentem tenet, eiq; voluntate efficaci brauium desiderat, hinc omnia necessaria media ei tribuit, equum scilicet velocitate ad cursum valentem, vnde ocyus præcurrens brauium consequitur: ecce quòd & si de medijs efficacibus ad hoc cogitat, nihilominus primò de fine. Sic Deus, & si omnibus simplici voluntate primò finem perfiniat, etiam & efficaci; nec aliud superaddit, & adiungit, nisi, quòd efficacia media ei impertiatur, & tribuat. & sic semper finis primò in intentione esse cernitur. Et, vt res magis magisq; elucescat, considerandũ venit de voluntate Dei antecedenti, & consequenti, quæ & si in se vna est, respectu volitorum, vel rerum quas vult, antecedens, & consequens nuncupatur: Quamobrem, sicuti in logica antecedens est, quod præcedit, consequens, quod sequitur, exempli gratia. Homo currit: Ergo homo mouetur. Homo currit, antecedens est, cum ad ly mouetur præsupponatur. Et homo mouetur, consequens est, cum ad ly currit, sequatur. Sic in Theologia, ista consequentia. Deus media ad salutem tribuit; ergo voluntate antecedenti homines vult saluare: sequela probatur. Omnis artifex sufficientia, & necessaria media ad aliquem finem consequendum præbens, vult voluntate antecedenti illum finem: Sed Deus est huiusmodi, quoniam (auctore Scoto in p. dist. 46. q. vnica in solutione primi argumenti) Deus, dona naturalia, adiutoria communia, leges rectas, ac omnia sufficientia, ac ad finem consequendum necessaria hominibus contulit: Ergo Deus antecedenti voluntate vltimum finem hominibus vult. Nec aliud est voluntas antecedens, nisi voluntas diuina dans alicui antecedentia, vnde aliquid operari, atq; consequi queat, parata coagere cum præcepto, vel consilio si ipsa velit. Quæ voluntas in parte efficax, in parte verò inefficax est. Efficax in mediõrum præscriptione. Inefficax autem, & conditionata, in mandatorum obseruatione, ad quam neminem vult compellere. Voluntas cõsequens, est voluntas, quæ sequitur. Hinc præceptorum obseruatione, secundum præcipientis intentionem, ad extremum vitæ diem vsq; posita, Deus homini voluntate consequenti & efficaci decretatam gloriam tribuit, sine qua obseruatione (de adultis loquendo) nequaquam tribueret: at antecedenti voluntate tantum, pro quanto efficaciter media constituere voluit, ad quorum obseruationem, gloria potiretur. Vnde tam in voluntate antecedenti, quàm cõsequenti, finis, prior medijs intelligitur: nam voluntate antecedenti, ideo media ordinauit, vt finem, ad quem primò præfixerat, consequeretur: Voluntate verò consequenti, quoniam media amplexus est, ideo propositum finem concedit. Et efficaciter vult

le nil aliud est, quàm efficacia adiutoria, gratiâ efficacem ad medijs iur-
 hazendum, & propositum finem obtinendum prafinire. Etiam atq;
 etiam tecum ipse studiosè lector, in mentem volue, & semper finem in
 Dei intentione medijs priorem esse reperies, quandoquidem media illa
 à casu, vel inefficacia, vel efficacia sint, statuisse dicendus non est: vn-
 de si à casu non deliberauit, in ordine ad finem decretaffe liquet, & per-
 consequens primò in mentem finem gessisse. Ad id, quod ait. *Is enim
 nunquam efficaciter premia decernit, nisi digno, & merenti.* Sic dico
 ego, Deum, finem homini non dare, quamvis primò intendat, nisi
 media obseruanti, necnon merenti. Suarez in supracitato loco de au-
 xilijs diuinæ gratiæ, in homine admittit, scilicet, quòd primò merita co-
 gnoscat, & propter illa præmium exhibeat, sed simpliciter analogiam
 negat; nec in Deo concedit: sed re vera, nec in Deo, nec in hominibus,
 nec in re vlla finem medijs non antecellere, eaq; anteuertere, reperiri va-
 let, vt apertissimè, & planissimè explicatum est. Vnde fit, quòd argumè-
 tum in suo robore, in sua firmitate, in suisq; neruis persistere, & Hacke-
 ris ac aliorum recentiorum dicta, nimis antiqua, & obsoleta esse, ap-
 pareat.

Præterea. Præuisio Dei rata & infallibilis futurorum contingentium,
 nō prouenit, & exoritur nisi ex determinatione diuinæ volūtatis, inquit
 Scotus, & ipse Hacker. asserit in illud ad Rom. 8. Quos præsciuit, & præ-
 destinauit conformes fieri, &c. vbi præscientiam, prædestinationem
 non præcurrere pro comperto habet, & tradit, dicens. *Triplex ergo ve-
 rum illius loci sensum eruendi via esse potest, prima vt nomine præscientiæ
 intelligatur scientia, practica, seu approbationis, que vel idem est cum præde-
 stinatione, vel simul cum illa: iuxta quam viam particula, & nullum inter
 prædestinationem, & præscientiam prioritatis, aut posteritatis ordinem cō-
 stituet, sed fiet vsitato scripturæ more repetitio eiusdem.* Ecce quòd præ-
 scientiam prædestinationem præcedere non admittit, sequitur. *Alte-
 ra, vt præscientia significet scientiam speculatiuam, seu visionis, quomodo
 posterior prædestinatione est, quamquam in contextu præferatur, vniuer-
 saliter enim omnium effectum, etiam qui liberè, & contingentèr eueniunt,
 prior est determinatio voluntatis diuinæ, quàm scientia visionis.* Et hic
 confirmat quòd dixit infra. *Tertia: vt particula, & causaliter vsurpetur;
 sicut in plerisq; alijs scripturæ locis, Esa. 64. Tu iratus es, & peccauimus ti-
 bi, idest Quia peccauimus tibi iratus es. Ita in præsentī. Quos præsciuit, &
 prædestinauit, idest quia prædestinauit, ideo præsciuit hæc ille.* Siquidem ho-
 minum opera nisi post determinationem diuinæ voluntatis, non intelli-
 guntur: ex præuisis meritis prædestinationem non oriri liquet. Et n.
 ex meritis præuisis prædestinare, & non prospicere, nisi post determina-
 tionem voluntatis, inter se dimicant, & certant. Nam si ex præuisis me-
 ritis prædestinat: ergo post determinationem voluntatis non cognoscit
 si post

¶ post determinationem volūtatis intelligit, & intuetur : iam ex operum præcognitione non prædestinat. Ecce igitur, quòd pugnant inter se ; & quòd est manifestissima contradictio : ad quam excludendam ad scientiarum distinctionem confugere, est oleum, operamq; perdere. Quoniam prædestinatio ex præiudicis meritis, rerū est, quæ realiter in tpe futura erant, in Deiq; essentia ideale, atq; cognitū esse habebant ; vnde ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ, rerum est, quæ nusquam huiusmodi esse habituræ sunt, recurrere, vanum & irritum est.

Ad hæc portò. Effectus prædestinationis causam prædestinationis esse nequeunt : sed opera meritoria sunt effectus prædestinationis : Ergo opera meritoria causam prædestinationis esse nequeunt . Maior probatione non eget. Minor est Apostoli: Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c. & aliorum omnium, immò verò & ipsius Hackeri nu. 6. vbi ait: *Primum est, prædestinationem tres potissimum in homine constituisse effectus, vocationem, iustificationem, & glorificationem. Hos .n. nec plures Apost. ad Rom. 8. recenset: & reliqui, quos Theologi enumerant, facile ad eos reuocantur &c.* Qui tamen in animæ dotes supputando, ac numerando, Theologiam primioribus labijs non attigisse videtur, nam tres cum sint, ipse dicit: *Ad glorificationem (scilicet reducuntur) amor beatificus, gaudium, & dotes corporis.* Num. 96. inquit: *Est ergo vocatio effectus prædestinationis. Infra: Ut autem actio coniuncta liberè operationi, iam secundum effectum prædestinationis constituit: estq; gratia non præcisè vocans, sed adiuvans, seu cooperans.* Cōfirmat num. 98. vt videre est. Si ergo ex sua sententia, opera sunt effectus prædestinationis, causam esse non possunt; implicat namque esse causam alicuius causæ, cuius est effectus. Si dicatur, ex 2. Phy. t. c. 30. causas sibi inuicem fore causas. vt sanitas est causa ambulationis; & ambulatio est causa sanitatis: concedo, sed non in eodem genere causæ, sicuti Philolophus clarè se explicat, ac in præsentī eueniret: Si igitur opera nostra cum sint effectus, non sunt causa prædestinationis, iam ex præiudicis meritis Deum non prædestinare, explosum est.

Insuper. Nullum bonum in homine reperitur, nisi quoniam, vt reperiat Deus vult, D. Augustino teste de correptione & gratia. c. 6. 7. 8. & seq. & de præd. Sanct. c. 10. & c. 11. in fine, vbi concludit: *Quid enim appetitis, quàm vbi dicitur, ego faciam vt vos faciatis? & quantum ad nos, (inquit Apost.) nō sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquàm ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est: Igitur multo minus sufficientes sumus operari. Si nostra bona à Deo sunt, à quo & voluntas nostra preparatur, & omne bonum à summo bono est, vt etiam Plato protulit: Igitur bonorum præiudicium, est post determinationem voluntatis. Si sic: Igitur ex meritis præiudicis nō prædestinat: Scēius bonū in prædestinato esset præter volūtatem Dei; quod falsum est.*

C

patet;

patet; quia si ante determinationem voluntatis cognoscit, & ante eius præfinitionem sunt in esse ideali, eruntq; in esse reali. quod cogitatione assequi, ne dicam fieri, stulti est.

Amplius. Primæ rectitudinis ratio quærenda non est: secus videretur, quod non esset prima rectitudo: sed Diuina voluntas est primæ rectitudinis ratio: Igitur ipsius Dei voluntatis, alia ratio inuestiganda non est. Quo stante, ex meritis præuisis Deus gloriam homini præfinire dicendus non est. Confirmatur Saluatoris auctoritate, Matth. cap. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Ecce, quod non ex præuisis meritis, sed ex suo placito, & pro ut ei lubet, operatur.

Præterea. Voluntas, cuius obiectum est extra ipsam, vt ab aliquo extrinseco obiecto moueatur, necesse est; sed si non est extra ipsam, vt ab aliquo moueatur, opus non est. At diuina voluntatis obiectum non est extra, cum sit essentia diuina, & voluntas ipsa sit essentia: Igitur ab aliquo extrinseco non mouetur, Igitur ex operibus præuisis non prædestinat.

Demum. Si ex præuisis meritis esset prædestinatio, quam plurima sequerentur incommoda. Primùm, pueros cum baptismo ex hac vita migrantes, Cælum minimè scandere, & saluari. Patet; Quoniam nullum opus prædestinatione dignum in ipsis præuidetur: Igitur saluari non videntur. Respondet ipse num. 67. dicens: *Quid de electione paruulorum de vita excedentium sit sentiendum. Quod enim merita in adultis, idem valet iustificatio in paruulis; & sicut nemo adultorum efficaciter ab æterno ad gloriam eligitur, nisi ex præscientia meritorum; ita paruulorum, nullus nisi ex præscientia iustificationis &c.* Veruntamen difficultatem non excludit, quandoquidem in illa iustificatione nullam partem habent, nec in eorum glorificatione, cum rationis ita experti sint, vt nec patrem, nec matrem agnoscant, 1. Phy. t. c. 2. & per consequens meritis vacui. Vnde sicuti paruulos istos, ex libera Dei voluntate prædestinatos esse sentimus, ita de adultis sentiendum, quemadmodum de præd. Sanct. c. 12. innuit his verbis. Laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium libertatis arbitrio: sed vbi venit ad paruulos, & ad ipsum mediatorem Dei, & hominum, hominem Iesum Christum omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum. Et in lib. de gratia, & lib. arb. c. 22. dicens: De paruulis certè Pelagiani, quod respondeant non inueniunt, quorum nec voluntas vlla est in accipienda gratia, cuius voluntatis meritum præcessisse dicant. Et in lib. de correptione & gratia tom. 7. c. 8. scribit. Sed etiam illud non minus mirum est, & tamen verum, atq; ita manifestum, vt nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent valeant inuenire, qd filios quosdam amicorum suorum, hoc est reparatorum, bonorumq; fidelium
finc

sine baptismo, hinc paruulos exeuntes, quibus vtiq; si vellent huius lauacri gratiam procuraret. in cuius potestate sunt omnia, alienat à Regno suo, quò parentes mittit: & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt, cum & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorum propria voluntate. & epistola 106. & 107. & alibi. quid clarius? Si responsum tempestate Augustini datum referat, hoc est fuisse prædestinatos ex operibus præuisis, quæ vtiq; fecissent, si superstites fuissent. De hoc responso admiratione nõ parua afficitur Augustinus in dicto c. 12. de præd. sanc. dicens: Sed nullum Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debet hominis (vt mitius loquar) incauta suspicio. Air enim: Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit, inquit, non adiuxit, vel gesturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, vt futura, quæ non sunt futura puniantur, aut honorentur merita paruulorum. & c. seq. ait: Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita; & hoc videre facillimum est. hæc ille. Vnde Augustinum huiusmodi paruulos ex præuisis meritis non esse prædestinatos, at ex liberalitate tueri, patet. Idem in epist. 105. ad Sixtum, scribit abundè, versus finem, ad quam breuitatis gratia lectorem remitto. Cum ex bonitate Dei tales prædestinati sint, vt aduersarij concedunt, vnde Augustinus in dicta epistola: Et hoc solum de paruulis dicam, quòd ipsi quoquè autoritate euangelica terri, vel potius Christianorum populorum concordissima fidei conspiratione perfracti, sine vlla excusatione concedunt, quòd nullus paruulus nisi renatus ex aqua, & Spiritu factò, intrat in Regnum celorù &c. Saltèm propositionem istam omnibus communem nõ esse constat, si prædestinationem ex meritis præuisis procedere, cum pueris istis non competat. quare ex istis, de adultis argumentari posset, & optimè.

Secundò, sequeretur prædestinationem non esse donum Dei, quod est contra Apostolum ad Rom. 6. dicentem: Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Sequela probatur, Quoniam si ex meritis, iam non ex dono.

Tertiò, ex hac positione sequeretur; Primum mouens, haud simpliciter immobile esse: quod est contra Aristotilem 12. diu. & 8. phy. Consequentia probatur. Nam 12. diu. tex. 36. inuestigans Aristot. secundum quem motum primum mouens immobile moueat, ipsum mouere, vt desiderabile, ac intelligibile, necessariũ esse dicit. Hæc enim duo sufficere inquit; Si igitur præuisæ operationes essent causa prædestinationis, ad se diuinam voluntatem alliciendo: primum mobile penitus immobile non esse constaret, cum ab operationibus istis præcogni-

tis, tanquam ab alio appetibili, ac intelligibili moueretur, eo modo, quò Philosophus in tex. 38. explicat, immediatum Cœli motorem, à primo simpliciter mouēte moueri: hinc Angelicus Doctor tradit: Primum mouens, eo motu, quò mouet, minimè moueri, quemadmodū nec primum alterans, alteratur: quamobrem cum primum mouens, secundum motum desiderij moueat, eodem motu à quouis alio moueri non posse, palam est; vnde alterum de duobus concedendum est, vel præuisa operationes, diuinæ voluntatis actum ad se non terminare, voluntatem alliciendo; vel primum mouens simpliciter immobile nõ existere; secundum non est dicendum: ergo, ex hominū operationibus ad prædestinandum non moueri concedendum. Si sic; igitur ex præuisis operibus non prædestinat.

Quartò sequeretur, quòd Diuina voluntas vilesceret; quoniam (vt Scotus ait in 3. dist. 32. q. vnica. vers. Tertium patet.) Sola diuina essentia potest esse tam intellectui diuino, quam voluntati prima ratio agēdi; & si aliquid aliud possit esse prima ratio agēdi, vilesceret illa potētia.

Quintò sequeretur, diuinam essentiam non esse adæquatum diuinæ voluntatis obiectum: Patet; Quoniam, si istæ hominū præuisæ operationes diuinam voluntatem mouent, præter essentiam suam, ipse mouent: Igitur si aliud ab essentia, illam voluntatem mouet, Diuinam substantiam, & naturam non esse adæquatum obiectum illius voluntatis, in aperto est.

Sextò, sequeretur; ipsas operationes Deo excellere, atq; præstare: quod nec stulti, & intellectu capti, cogitarent. Sequela probatur sic: Mouens est præstantius moto; sed præuisæ operationes, per ipsum, moraliter diuinam voluntatem mouent: ergo præuisæ operationes sūt præstantiores Deo.

Septimò, sequeretur; Deum non habere perfectissimam actualitatem, quod est contra Arist. 12. diu. tex. 39. & cunctos Scolasticos. Consequentia probatur: Quoniam immobilior est motor ille, qui ab obiecto extrinseco moueri nequit, quolibet motionis genere, eo, cuius voluntas ab obiecto moraliter mouente, ad aliquid volendum trahitur. Si igitur ab istis operationibus diuina voluntas ad prædestinandum traheretur, perfectissimæ actualitatis non esset; qd est falsissimū. ergo &c.

Octauò, sequeretur; primam gratiam ex meritis proficisci, quod est contra catholicam fidem, & Apostolum, dicentem: Si gratia esset ex meritis, iam gratia non esset gratia. & ipsummet Hackerum num. 77. 78. & 79. in postremo articulo asportandum. Sequela probatur: Voluntas efficax Dei, infallibiliter suum consequitur effectum, abique vlla contradictione. Et ipse num. 52. & 53. concedit, dicens: *Siquidem voluntas efficax, nisi vel mutetur, vel impediatur; ut mutari, vel impedi non potest, certò & infallibiliter ad effectum progreditur.* Sed sine operibus

tribus meritorijs saluari (de adultis loquendo) nemo valet: vt sacra pagina sexcenties prædicat: meritoria sine gratia esse nequeunt. Et. n. opus meritorium, est opus liberè elicitum, vel imperatum à voluntate viatoris, informatum charitate, tédens immediatè, vel mediatè in Deû: &c. Et ipse num. 23. vult, ex operibus ex gratia factis à Deoq; prauis hominem prædestinari. Igitur si ex meritis, meruit ad gloriam prædestinari, ad quam, absquè gratia peruenire non valet, meruit & gratiam; implicatio namq; foret, si finem mereret, & non media ad finè. Nam si de quo magis, & de quo minus. Eteò magis hoc sequeretur, stante positione sua num. 140. Deum secundum dispositionem, quam præuidet in homine gratiam ei largiri; vnde videretur ex illa dispositione aequaliter mereri; cùm ex quantitate dispositionis, quantitatem gratiæ tribuat, & indispositio non tribuat. quod manifestius in sequenti articulo examinabitur. Hæc & alia, quæ missa facio absurda, ex eius opinione scaturiunt, & emanant. At ad auctoritates descendamus.

Quamplurimis scripturæ sacræ testimonijs sententiam nostram communitam esse ostendere valerem, vt Exod. 33. Miserebor cui misereor, & clemens ero super quem placuerit mihi. Ose. cap. 13. Perditio tua ex te Israel, salus autem ex me. Ad Tit. 2. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam taluos nos fecit. 2. ad Tim. cap. 1. Quis nos liberauit, &c. Sed quoniam num. 69. de electione ad gratiam, & non ad gloriam loqui interpretatur, peccatam tamen, quemadmodum vnicuique scripturam, non cum præcisione, sed absolutè loquentem contemplanti, perspicuum erit. Et ad gratiam arctè complecti, est fugam arripere. Non tantum igitur de electione ad gratiam, sed & de electione ad gloriam loquuntur; & si de gratia loquerentur, à fortiori, per illam regulam (Propter vnumquodque tale & illud magis) de gloria intelligenda forent: Vt igitur ei omnis cauillandi spes sit præcisa; vnam, vel alteram auctoritatem apertissimè de gloria loquentem in medium afferam.

Act. 13. E crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Hic citra omnem fucum de gloria agitur, & dicitur: Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam: ergo, &c. At Hackerus textu græco innixus num. 69. in diuersum sensum rapit dicens: *Hoc est quotquot erant dispositi, seu ordinati, quod fit per congrua gratiæ media: vt sensus sit: crediderunt quot quot erant per gratiam, vt crederent, ac media fide, & operibus ex gratia factis, vitam æternam consequerentur; preparati, & dispositi.* Hæc ille: Sed suis cauillis omnia peruerxit. textus solum habet; crediderunt quot quot erant præordinati ad vitam æternam: nec dicit; quot quot præordinati erant per gratiam, vt crederent: & deinde media fide, & operibus ex gratia factis, &c. Ista verba sua sunt, nec recipienda. Non dicit crediderunt

quot quot præordinati erant ad credendū; dicit præordinati, id est prædestinati ad vitam æternam, non ad credendum; & ad vitam æternam simpliciter sine vlla hominum operatione. Nam crediderunt, præteriti perfecti temporis est: præordinati erant, est tēporis plusquàm perfecti. Vnde liquet prius ad vitam æternam præordinatos esse, deinde credidisse; quia præordinati erant ad vitam æternam; idē crediderūt, ad illam enim consequendam, ad quam erant prædestinati, opus erat vt crederent, & operarentur postea. Ex quibus verbis apprimè, ex sua gratia primò prædestinare ad gloriam, deinde ad merita colligitur, & clarè cognoscitur. Studeat Manuēli, quem semper præmanibus habet, & istam veram constructionem, & certam esse offender: Animaduertatq; ipse, & alij multi etiam, atq; etiam considerent, ne in nouo more scripturam interpretando, eis accidat, quod Origeni contigit, de quo Lyrin. scribit: Erat illi tanta vis ingenij, tam alacris, tam elegans, vt omnes longè superarit, tata doctrinæ eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, nulla, humanæ philosophiæ, quæ non penitus assequeretur: & multis alijs rebus in eius laudem narratis, subdit: Hic tamen tantus, ac talis, dum gratia insolentius abutitur, dum ingenio suo nimis indulget, dum plus cunctis sapere, præsumit, dum veterum magisteria contemnens, quædam scripturarum capita nouo more interpretatur, subitō à veteri religione in nouam profanitatem decedit. Idem quoque de Tertuliano refert. At de his hæc tenens.

Accedit Apost. ad Ephes. i. dicens: Benedictus Deus, & Pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cœlestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate; qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Infra: In quo etiam nos sorte vocati sumus: Prædestinati secundum propositū eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius, &c. Obseruandum in diuinis notionalia, & essentialia reperiri. Notionalia esse, quæ in cognitionem alicuius personæ, vel personarum nos manū ducunt; vt innascibilitas, & actiua generatio in Patris cognitionem ducunt: generatio passiuā in cognitionem filij: spiratio actiua, in cognitionem amborum: spiratio passiuā, in cognitionem Spiritus sancti. Essentialia verò ea sunt, quæ omnibus personis competunt; vt potentia, sapientia, bonitas &c. Omnipotēs enim Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; & sic de alijs. quæ & si omnibus communia sunt, attamen quibusdam de causis, quas referre superuacaneum foret, alicui personæ determinatæ attribuantur, vt potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto. Et quàmuis ad opera ad extra omnes illę personæ concurrat, quia ac-

tus est potētia, & potētia patri assignatur. Hinc Apost. Patri attribuit, dicens: Benedictus Deus, & Pater domini nostri Iesu Christi. vel, quia omnium productionum fons, atq; origo est: vel, quia filios adoptare, patris est. Hinc ait: Benedictus Deus, & pater, &c. Sequitur, Qui benedixit nos. Ratione nominis prædestinationem comendans, benedictionem illam vocans: nam sicut Dei dicere, facere est; ita benedicere, est bene facere; & hac de causa benedictionem vocat. Adijcit; Omni benedictione. Qm̄ diligentibus Deum oīa cooperantur in bonum: vel, Omni: Quia in hoc seculo, & in futuro; vel, Quoniā in anima, & in corpore. Sequitur: Spirituali. Ad differentiam terrenarū rerum, in cuius comparatione nihil sunt. Vnde alibi: Omnia arbitratum sum, vt stercora, vt Christū lucrifaciā. Sequitur: In cælestibus. Vel rebus, vel locis, vt Hieron. placet; idest, non in terra, sed in cælo. Subiungit: In Christo. Ad ostendendum instrumentum, quo consequimur. quasi dicat: sicut in Adam omnes peccauerunt, & moriuntur; ita in Christo omnes viuificantur. si equipollat, per, .i. Per Christum omnia nobis tribuuntur, & ita alium mediatorem statuētes refellit. Sequitur: Elegit nos ante mundi constitutionem. Ante quā iacerentur fundamenta Mundi, legunt Græci. Ante creationem cæli, & terræ, dicit Hieronymus; & rectè, quoniam sicuti Deus æternus est, sic & voluntas eius, sic & velle; & quoniam prædestinatio est diuinæ voluntatis actus, hinc ab æterno, & non pro æterno. Vtessemus Sancti &c. Quibus verbis, errorem gulæ indulgentium rejicit, dicens: Nō ad hoc nati sumus, vt gulæ studeamus, sed vt simus sancti, absque reprehensione, & castigatione. Eisdem verbis, et Origenis errorem confutat, opinantis, animas ante mundi originē creatas, & bonas prædestinatas, malas verò reprobatas fuisse. Non, (ait Apostolus) quia eramus sancti prædestinavit nos, sed vt essemus prædestinavit nos, nosq; elegit. prædestinatio, Animaduerte, non est idem quod electio: quoniam vbi prædestinatio est preparatio finis, scilicet gloriæ alicui. Electio, ex 3. Eth. est entium ad finem, hinc prædestinatio in Dei intentione, electioni, & vocationi præintelligitur; sicut appetitus finis, eis, quæ sunt ad finem; quamuis in executione prior sit vocatio, quā electio, & electio sit prior prædestinatione: quod enim vltimum est in executione (ex 3. Eth.) primum est in intentione. Vnde ad Rom. 8. Quos præseruit, &c. .s. scientia simplicis intelligentiæ, non approbationis, quæ non præcedit, sed sequitur prædestinationem, vnde cum prædestinatio electionem præcedat. sensus est: Quia nos ad gloriam gratis prædestinavit, quia nostris operibus ad ipsam peruenire nequebamus, sine gratiā ipsius; hinc, vt essemus sancti, & immaculati, nos elegit, vt per media ista, gloriam, quā nobis præseruit, consequeremur; & quoniam omnia ex mera sua bonitate: idcirco sequitur; In charitate. Ac si dicat,

dicat, nō ex meritis nostris preuisis. Sequitur: Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum: Et hoc, quoniam naturales esse nequebamus. Sequitur: Secundum propositum voluntatis suæ, &c. Vt liberalitatem suam promat, quandoquidem Deus à re intrinseca, vel extrinseca hominis (vt supra probaui) minimè mouetur; & vt Hieronimus ait, grecum vocabulum hoc innuit, diuinam voluntatem vltro miserentem significans. In laudem gloriæ suæ: Ad alium prædestinationis finem exprimendum. Nec mirandum, plures prædestinationis fines assignari, non enim repugnat, rem vnā plures habere fines, vt de elemosina pluribus de causis facta, liquet, scilicet propter Deum, propter vanam gloriam, & similia. Ita in prædestinatione ex parte nra, prædestinati sumus ad gloriam: ex parte Christi: Vt sit primogenitus in multis fratribus: ex parte Dei: Vt sua gloria refulgeat. Subdit: In qua gratificauit nos in dilecto filio suo; Ad exprimendum effectum temporalem, quò gratificati sumus, scilicet per sanguinem eius. Sequit: In qua & forte vocati sumus. Quasi dicat: Non ex industria nostra, nostrisq; meritis est, etenim quantum ad hoc, respectu nostri, euentu fortuito est, non quòd ad Deum, à quo secundū propositum suum prædestinati sumus; qui oīa secundum consilium voluntatis suæ operat.

Nec putandum in Deo consilium esse secundum intellectum, nam sic consiliari ignorantis est: sed secundum voluntatem reperitur, & est omnia ad extra, sua voluntate facere. Dicit, Omnia secundū consilium voluntatis suæ: Vt exprimat, quòd sicut cuncta ex sua liberalitate creauit, ita homines prædestinauit. Sequitur: Vt simus in laudem gloriæ eius; vt simus, non quia eramus. Vnde satis apertè videtur Apostolus, ex sua liberalitate Deum prædestinare, sentire. Verūm Hackerus num. 69. dicit: *Illud enim ad Ephes. 1. Elegit nos &c. non de electione gloriæ, sed gratiæ intelligendum esse, probatissimi testes sunt Hieronymus in eundem locum; & Augustinus lib. de præd. sanct. c. 17. 18. 19.* At Hacker. sciat, testem inductum à parte, plenè probare contra producentem; vnde fit, quòd, cū Augustinus citatis locis nō solum de electione gratiæ, sed & de electione gloriæ loquatur, (vt infra ostendam) plenè contra illum probet. Hieronymus, si de electione gratiæ exponat, cū non dicat, tantum, vel adiciat, nō de gloria, nobis non aduerfatur; nam & nos inconcussa veritatis doctrinam esse, confitemur, ad gratiam ex meritis minimè eligi, & nec ad gloriā addimus; & quamuis dictus Doctor aliter diceret, eo sensu, quò in extremo articulo exponetur, intelligendus est. Idem Apóst. ad Rom. c. 9. de Iacob, & Esau loquens, ait: Cū nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent, aut mali, (vt secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

habui. Quid ergò dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Moyli enim dicit. Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo cui miserebor. Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, &c. Quid clarius? Hic Apostolus merita eorum excludit, & Dei liberalitatem statuit, dicens: Antequàm aliquid boni egissent, Iacob dilexi. Ex gratia igitur illum dilexit, & non ex operibus, ex gratia illum ad gloriam prædestinauit: non tantum enim de amore gratuito intelligendum est, sed & de glorifico, cum absolutè loquatur: Et de gratifico solum loqui, aduersarijs incumbit probare; quod ad Kalendas græcas ad exitum perducent: Eis etiam probandum est: præuidisse merita eius, ad amorem glorificum illi concedendum. Si per eum, opéra Iacob fuere in causa, vt prædestinaretur: cur in causa non fuerunt, vt gratificaretur? cum in plus se habeat gloria, quàm gratia? Si gratia, non fuere digna, nec gloria; & sicuti illa ex Dei bonitate emanauit, ita & gloria. & sicut ex gratia, amore gratuito illum dilexit, ita ex liberalitate, amore glorifico eum prosequutus est. Dices: Cui vult miseretur, nonne ex sua munificentia prædestinare demonstrat? etenim si ex præuisis meritis faceret, in manu sua prædestinare non foret, sed ex iustitia procederet. Non ne figuli exemplo palàm facit, dicens: O homo tu quis es, qui respondeas Deo: Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? An non habet potestatem, figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Quasi dicat; sicut figulus, prout ei lubet, ex eadem limi massa, aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam facit. Sic Deus ex massa Adæ, aliquos ex munificentia sua ad gloriam præordinat. Et de prædestinatione ad gloriam loqui, ex verbis, quæ sequuntur lepide cognoscitur. Quòd si Deus, ait, volens ostendere iram, & notum facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Ecce quòd de prædestinatione gloriæ apertissimè loquitur, dum dicit: Quæ præparauit in gloriam. Ac si diceret, quemadmodum figulus non ex meritis, sed ex sua liberalitate ex eadem massa, vasa aliqua in gloriam format; ita Deus ex sua bonitate, aliquos homines ad gloriam prædeterminat. Nec iuuat cauillari de gloria, & honore in Christum redundante, ac efflorescente intelligendum; quoniam duobus vicibus gloriam nominat, vt & de illa, & de ista se intelligere, cognoscat. Dicens enim: Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ. Se, de gloria, quæ in Deum redundat, loqui, aperit. Adijciens verò, Quæ præparauit in gloriam: Se, de gloria aeterna intelligere, patefacit, idest: Sustinuit &c. vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ in hoc mundo; quæ vasa

miseri cordiæ, in quibus diuitiæ gloriæ suæ redundabant, præparauit in gloriam, scilicet æternam. Et quod de gloriæ prædestinatione fermocinetur, ex his quæ subiungit, apertissimè liquet. Quos & vocauit nos non solum ex Iudejs, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osea dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam cōsecutam. & erit in loco, vbi dictū est eis: Non plebs mea vos. ibi vocabuntur filij Dei viui. Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquàm arena maris, reliquiæ saluæ fient. Hæc Apostolus. Qui, postquàm dixit, Vocabo non plebem meam, plebem meam &c. Et de conuersione gentium, ac de prima gratia affatus est, subdit: Et erit in loco, vbi vocabuntur filij Dei viui. Infra, Reliquiæ saluæ fiēt. Vt cognoscatur de salute æterna, loqui. Luc. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

Ioann. 15. Christus Apostolis dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Cū prædestinatio electionē præcedat, vt dixi, necesse est, vt electus primò prædestinatus sit; ex quo infertur, quod si sine præiudicatis operibus eligitur, etiam sine præiudicatis operibus prædestinetur. Verūm prætermittenda Apostoli auctoritate, 1. ad Tim. 2. Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & alijs omnibus, vt dixi, ex istis, quæ explanatæ sunt opimè non ex præiudicatis meritis, sed ex diuina munificentia homines prædestinatos esse, apparet. Quæ verò ex gratia, primam gratiam esse sonant, nos minimè angunt, & vexant, immò nostram sententiam corroborant; quoniam à fortiori, pro nostra sententia faciunt. Et quod de sacris eloquijs dico, & de Diui Augustini doctrina dico; multæ namq; ipsius reperiuntur auctoritates primam gratiam, cum sit principium meriti, non cadere sub merito, sed ex ipsa diuina bonitate emanare prædicantes. Nam & nos gratiam primam ex gratia à Deo dari dicimus, atq; asserimus; sed vltcrius etiam gloriam, sic ab ipso tribui, asseueramus: Oportet igitur auctoritatem Augustini asportare, quæ ab operibus præiudicatis prædestinationem initiū capere, dicat, & quod nō sit retractata, quemadmodum ego leui brachio, nulloq; labore pro mea sententia faciam.

Probatur igitur, & auctoritate D. Augustini, quæ cū nusquā legerit Hackerus num. 33. scribit: *Adde nullum ex omnibus Augustini, quorum nil retractauit, operibus produci locum posse, vnde contrarium aliquando docuisse redarguatur. Quæ enim pro se aduersarij ad comprobendam sine meritis antecedentibus electionem, asserre solent, non de electione ad gloriam, de qua agimus, sed de electione ad gratiam loquuntur &c.* Et dū sic loquitur de mēdacio arguitur, & omnibus se defendendum propinat. An verum sit periculūm faciamus.

Augustinus de fid. ad Petrum, circa medium ait:

Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinavit ad regnum: Hic Augustinum nemo nisi ignarus negare potest de prædestinatione ad gloriam loqui: & cum dicat; Diuina bonitate; nemo ambigere valet, prædestinationem ad gloriam ex liberalitate diuina esse, Augustinum non affirmare. Nota; Regnabunt cum Christo. Nota; Prædestinavit. Nota; Gratuita bonitate. Omnia tecum ipse considera, & ante oculos pone, dilectissime Lector, & Hackerum se. supra omnes, Augustinum accuratè legisse iactantem. (Augustinum non vidisse) videbis; quemadmodum nec Vasquez. Nec cauilli quorundam, officit, s. regnum accipi pro gratia, quæ est semen gloria. Nam hoc loco agit de fructu, & vera gloria, & quòd ita sit, attende, & infra semen colliges. Sequitur Augustinus: Quia tales prædestinando præparauit, vt regno digni essent: præparauit vtiq; secundum propositum vocandos, vt obediant: præparauit iustificandos, vt accepta gratia rectè credant, vt bene viuant: præparauit autem glorificandos, vt Christi hæredes effecti, regnum cœlorum sine fine possideant. Hæc Augustinus. At hæc non vidit Hackerus. Obmutescat igitur, nec amplius cum quibusdam alijs vocem ad Cælum tollat. Augustinū nūquam prædestinationem ad gloriā ex Dei liberalitate esse dixisse: Clare namq; , & perspicuè in hoc loco Augustinus, non ex præiudicis meritis, sed ex Dei bonitate prædestinationem oriri, scribit: Nec cauillis offendi valet, & non conspicerem, indoctorum animi offusa caligo foret. Ista auctoritas silentio, attentoq; animo conspicienda, nec non attendenda est; non parum namq; ad aliarum suarum auctoritatum intelligentiam facit. & ex ipsa. finem in Dei intentionem priorem esse ijs, quæ sunt ad finem, primò scilicet prædestinatos esse ad gloriam, quam ad gratiam cognoscitur; cum primò dicat, illi cum Christo regnabunt, &c. deinde, quia tales prædestinando præparauit, &c. aperte vtrumq; ordinem, intentionis scilicet, & executionis habemus. Nam dicens: Illi cum Christo regnabunt, quos gratuita bonitate prædestinavit ad Regnum: Ordinem intètionis promit. Dicens postea: Prædestinavit glorificandos, vt Christi hæredes effecti, regnum cœlorū

sine fine possideant: ordinem executionis palamfacit. Habemus, ut dixi, ex gratia esse, illis verbis, gratuita bonitate, & multa alia consideratione digna. At de his actenus, & aliam Augustini auctoritatem aggrediamur.

Augustinus in lib. de correptione & gratia. c. 7. inquit: Electi autem sunt ad regnandum cum Christo. Infra: Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum. (& supra, non ex operibus, sed ex gratia electionem esse scripserat.) Igitur electio ad gloriam non est ex operibus praevius, sed ex Dei dono. Sed respondet Hackerus num. 40. dicens: *Qui capitis illius contextum, vel leui attentionis ala peruolat; in eo non de alia, quam ad gratiam electione agi, facile deprehendit. Hanc enim perpetuo August. inculcat, dicens: Qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiae: si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia &c. Quis autem viro gravissimo vitium ambiguitatis, ut electionem tam breui verborum circuitu ad diversa transferat, audeat impingere, &c.* Res est eadem & admiratione, & ritu digna, neminem praeter se Augustinum accuratè perlegisse, ac graui ala attentionis peruolasse persuadere velle; cum Augustinum praemanibus non habuerit. Verum quidem est, Augustinum de praedestinatione ad gratiam agere; at non tantum de ista, sed etiam de praedestinatione gloriae, ex verbis supra dictis, liquet, quod, ut manifestissimum omnibus sit, antecedentis capitis, subsequentsq; verba consideremus. In c. praecedenti. prope finem, inquit: Audientes autem gentes gauisae sunt, & exceperunt verbum domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam aeternam. Act. 13. dicit ergo Augustinus: Quis in aeternam vitam poterat ordinari, nisi perseverantiae dono? quando quidem qui perseverat usque in finem, hic saluus erit. qua salute, nisi aeterna? quid clarius? in c. 7. primo affert Apostolum; Quos antea praesciuit, & praedestinavit, &c. Quos autem praedestinavit, illos & vocavit; Quos autem vocavit, illos & iustificavit; Quos autem iustificavit, ipsos & glorificavit. Deinde subdit Augustinus: Ex istis nullum perit; quia omnes electi sunt: Electi sunt autem; quia secundum propositum vocati sunt: Propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, ut secundum electionem propositum Dei maneret, & non ex operibus, sed ex vocante dictum est eis; quia maior, serui, & minori. Et tibi Ephes. 1. Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum, & gratiam. Cum ergo audimus; Quos autem praedestinavit, illos & vocavit, secundum propositum vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cepit, dicens: Omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt. Ac deinde subiunxit: Quoniam, quos antea praesciuit, & praedestinavit conformes, &c. Atq; his praemis subdit: Quos autem
praedestina-

prædestinavit, illos & vocavit; eos itaq; vult intelligi, quos secundum propositum vocavit, ne putentur in eis esse aliqui vocati, & non electi, propter illam Dominicam sententiam, Matth. 20. Multi vocati, pauci electi. Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati: Non autem quicumq; vocati, consequenter electi; Illi ergo electi, qui secundum propositum vocati; qui etiam prædestinati, atque præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: Sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas, ad opus cui congruebat. Paulus infra: Cum itaque audimus, nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum. Hæc Augustinus. Et quis non conspicit verba illa: Electi sunt autem ad regnandum cum Christo; et alia: Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum. De regno gloriæ loqui? Nonne sermo est de illis, qui non pereunt? & hocce cum Christo regnatus esse? Non ponit differentiam inter electionem, & vocationem ad gratiam, dicens: Quicumque electi, & vocati, & non è contra? Quam ad gratiam, vocati quoque sunt ad gratiam; sed non omnes electi; illi electi, & prædestinati, qui non pereunt, id est saluantur: Quid est non perire, nisi gloriam consequi? quid est gloriam consequi, nisi regnare cum Christo? Ad gratiam, & ad Apostolatam, nonne & Iudas vocatus? Non ne ad differentiam vocationis Iudæ loquitur de electione Apostolorum, dicens: Electos fuisse per misericordiam ad obtinendum regnum suum. Iudam verò per iudicium, & ad effundendum sanguinem suum? Si ex dictis non cognoscat; sequatur legendo Augustinum, & clarius intelliget. Infra dicit: Quam fortis autem perseverantia vsque in finem munus acceperint; sequantur & dicant. Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia &c. Infra: Isti significati sunt, 2. ad Tim. 2. vbi cum dictum fuisse Hymenæum, & Philetum fidem quorundam subvertete, mox additum est, firmum autem fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Sciuit dominus, qui sunt eius: horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò, aut omninò non deficit: aut si qui sunt quorum deficit, reparatur ante quam vita ista finiatur, & deleta, quæ intercurrerat iniquitate, vsque in finem perseverantia deputatur. Qui verò perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana, & conversatione lapsuri sunt, vt tales eos vite huius finis inueniat, proculdubio nec illo tempore, quo bene pieq; viuunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præsentia Dei, & prædestinatione discreti; & ideo nec

secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi: sed in eis vocati, de quibus dictum est; Multi vocati: & non in eis, de quibus dictum est; Pauci verò electi. Et tamen quis neget eos electos, cum credant, & baptizantur, & secundum Deum viuunt? Planè dicuntur electi à nescientibus, quid futuri sint; non ab illo, qui eos nouit, non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitq; illos ita stare, vt præciserit esse casuros: hæc Augustinus. Non ne loquitur de perseuerantia, quæ perducit ad beatam vitam? quid est beata vita, nisi gloria? Infra c. 8. nõ dicit: Quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt, cum & istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorum propria voluntate? hæc Augustinus. De quo regno loquitur hic; fortè de regno gratiæ tantum, an de regno gloriæ? De regno gloria quidem; Igitur ex hoc loco Augustinum, ex gratia Deum prædestinare sentisse, deducentes, leui attentionis ala non peruolarunt, at graui circumuolarunt, immò supra uolarunt, & curiosis oculis omnia sunt contemplati. Etc. 9. clarius dicit: Vt omne, quòd dedisti mihi non pereat, sed habeat vitam æternam. Hi ergo Christo intelliguntur dare, qui ordinati sunt in vitam æternam: Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Infra: Quos autem prædestinauit, illos & uocauit, &c. Infra: Quod autem potuit in fine, illos & glorificauit: siquidem illa gloria est hic intelligenda; de qua idem dicit Col. 2. Cum Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos cum illo apparebitis in gloria. hæc Augustinus. Iam ad aliam Augustini auctoritatem descendamus.

In lib. de præd. sanct. c. 17. tom. 7. exponens illud: Non uos me elegistis. inquit: Electi itaq; sunt ante mundi constitutionem, ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit. Quid est dicere, in qua, scilicet prædestinatione, sua facta præsciuit, nisi ante prædestinationem non præsciuisse, sed in prædestinatione? quid est præscire sua futura facta in prædestinatione, nisi post determinationem uoluntatis? Verù quò pacto ex meritis præuisis prædestinat, si prius quàm præuideat, prædestinat? si in prædestinatione cognoscit? Sequitur ordinè narrando sicuti supra de fide ad Pet. dicens: Electi sunt autem de mundo ea uocatione, qua, Deus id quod prædestinauit impleuit: ecce primò in intentione prædestinatio ad gloriam. Sequitur: Quos prædestinauit ipsos uocauit, illa scilicet uocatione secundum propositum; nõ ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & uocauit: nec alios, sed quos ita uocauit, ipsos & iustificauit: nec alios; sed quos prædestinauit, uocauit, iustificauit, & glorificauit, illo utique fine, qui non habet finem. hæc Augustinus. Vnde per Augustinum hic, quod in executione ultimum fuit, in intentione primum exitit. Cap. 18. in Pelagium, ex præuisis

præiis meritis prædestinationem originem ducere, autumantem inuehitur: Pelagij sententiam referens, deinde illam reprobans: Exorditur igitur Augustinus, dicens. Præciebat ergo, ait Pelagius, qui futuri erant sancti, & immaculati per liberum voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præcipientia, quia tales futuros esse præsciuit, elegit ergo (inquit) antequàm essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos, & immaculatos præsciuit; utiq; ipse non fecit, nec facturus, sed illos futuros esse præiudicavit. Intueamur ergo verba Apostoli (ait Augustinus) atq; videamus, utrum propterea elegit nos ante Mundi constitutionem, quia sancti, & immaculati futuri eramus, an & essemus. Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Infra: Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati. Non ergo, quia futuri eramus, sed ut essemus. Infra: Elegit ergo nos Deus ante mundi constitutionem, prædestinans in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti, & immaculati futuri eramus, sed elegit, prædestinavitq; ut essemus. hæc Augustinus. Vnde patet, Augustinum, Deum non ex præiis meritis hominibus gloriam prædeterminare, sentire, sed ex mera liberalitate sustinere: alioqui Pelagium nõ redargueret, nec ab ipso, gloriam ex operibus præiis esse decretatam sustinente, atq; defendente, discreparet; Verum cum ab eo discentiat, prædestinationem ex Dei bonitate fluere, Augustinum tueri, constat. Sed Hackerus nu. 34. & 35. illum de prædestinatione ad gratiam interpretatur, dicens: *Duos enim errores Augustinus citatis locis oppugnat. Alterum Pelagianorum, qui parum gratie diuinae, nimium naturæ tribuentes, asserébant hominem præsupposito creationis, & prædicationis externo dono, citra ullum ulterioris gratie diuinae auxilium, per solas naturales liberi arbitrij actiones posse totam implere legem, iustificari, in iustitia perseverare, & gloriam assequi.* At decipitur, quoniam Pelagius ex præiis meritis Deum prædestinare, defendebat: quandoquidem necessariam gratiam non esse arbitrabatur, & per solas naturales liberi arbitrij actiones posse gloriam obtinere, at si per operationes, ut ipse met fatetur; et apertè colligitur ex verbis Pelagij, ab Augustino relatis, quæ sunt: Præciebat, qui futuri erant sancti per liberum voluntatis arbitrium, & ideo ante mundi constitutionem in sua præcipientia, quia tales futuros esse præsciuit: Elegit ergo antequàm essent prædestinans filios, quos futuros sanctos, & immaculatos præsciuit: utiq; ipse non fecit, nec facturus, sed illos futuros esse præiudicavit. Quibus verbis gratiã excludit, & omne diuinum auxilium, & operibus prædestinationem tribuit. Et ex verbis Augustini, Prædestinans nos in adoptionem filiorum, nõ quia per nos sancti futuri eramus sed prædestinavit ut essemus. ergo &c. Ad alias Augustinus in tract. 26. in Ioann. super verba: Nemo potest venire

ad me, nisi pater meus traxerit eum, ait: Quare hunc trahat, & alium non, noli iudicare, si non vis errare; Igitur per ipsum, nulla est reddenda ratio meritum. Ac si diceret, si vis affirmare, hoc ex operibus preuisis procedere, errabis.

Idem in epistola 105. ad Sixtum: Omnibus nostris bonis à Deo venire patefactis, & multis auctoritatibus, ut illa: Spiritus interpellat pro nobis; & altera: Clamat, Abba pater &c. effectiue expositis, dicit: Quid est ergo meritum hominis ante gratiam, quod merito percipiat gratiam, cum omne meritum nostrum, non in nos faciat nisi gratia; & cum Deus coronat merita nostra, nil aliud coronat, quam munera sua? Satisfacit Augustinus, dicens: Sicut enim ab initio fidei misericordiam consequuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus. Sic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione, & misericordia. Non itaq; frustra Deo cantatur, & misericordia eius preueniet me; & misericordia eius subsequetur me. Unde & ipsa vita æterna, que utiq; in fine, sine fine habebitur, & ideo meritis precedentibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta sunt per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; nec ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt, & ipsa merita, quibus datur. Vbi autem inuenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari. Habemus apud eundem gratiam magnificum defensorem Apostolum Paulum: Stipendium, inquit, peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu domino nostro. hæc ibi. Eandem questionem habet in libro de gratia, & lib. arb. c. 8. & solutionem. & propè finem ait: Itaq; charissimi, vita bona nostra nihil aliud est, quam Dei gratia; sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est; hæc autem, quæ illi datur, quoniam præmium est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, ut verum sit; quoniam verum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera eius. His locis quis non audit Augustinum de gloria loquentem? cap. 9. ait: Vtrum autem legerimus in scripturis sacris, gratiam pro gratia, forsitan quaeritis: sed habetis Euangelium secundum Ioannem. tanta luce clarissimum, c. 1. Nos omnes ex plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia. Infra rationem reddit cur, dicens; Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita æterna. Nec dicat: iustitia vita æterna, sed gratia. Satisfacit respondens. Ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere, de quo in Pl. 102. dicit homo animæ suæ: Qui coronat te in miseratione, & misericordia. Non ne dicit vitam æternam gratis dari? gratiam vocari? & merita nostra, quibus eam impetramus, esse in nobis per gratiam? quid est

est vita æterna, nisi gloria, beatitudo, ac vltimus finis quietatiuus hominis? Non audis verba illa: Sicut ab initio fidei misericordiam cōfecuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt effemus; sic in fine, quod est vita æterna coronabit nos? Quid est hoc? nisi dicere; sicuti prima gratia, & fides, nō ex meritis præuis datur; ita nec gloria, & beatitudo. Cur inquit Non itaq; frustra Deo canitur, misericordia eius præueniet me, & misericordia eius subsequetur me; nisi vt exprimat, quod quemadmodum misericordia adiuti, fideles efficiamur, & euadimus: sic gratia, & misericordia suffulti, beati sumus?

Ad hæc faciunt quæ supra de paruulis baptizatis retulimus, ex libro de præd. sanct. c. 12. & de lib. arb. c. 22. & de correp. & grat. c. 8. & epist. 105. eiusdem D. Augustini, in quibus locis paruulos ex Dei bonitate prædestinari sentit, & non ex meritis præuis: & quod de paruulis tenet, & de adultis sustinet; patet ex verbis illis: Laboratur aliquando in ætate maiorum iam vtentium ratione, sed vbi venit ad paruulos, Pelagiani quod respondeant, non inueniunt. quasi dicat: Homines Dei bonitate prædestinatur, & ætate prouecti, & paruuli, nihilominus Pelagiani de adultis cauillantur, at de pueris cum baptismo decedētibus cauillari non possunt.

In epistola 106. vltra medium, inquit: Quos autem prædestinauit, illos & vocauit; hic subaudire debemus secundum propositum. Sunt enim & alij vocati, sed non electi, ac per hoc non secundum propositum vocati. Quos autem vocauit, hoc est secundum propositum, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Hi sunt filij promissionis, hi sunt electi, qui per electionem gratiæ salui fiunt. hæc ille: Quid manifestius? Quis iā ita cæcus est, & lapideus, vt non sentiat Augustinum, prædestinationem non ex præuis meritis, sed ex diuina largitate nasci, sustinere? Et Hackerum, Augustinum nullibi leuiter insinuasle, dicentem, ceterosq; Theologos ex Augustino sententiam nostram sumentes, Augustinum non vidisse, & accuratè legisse aientem, mendacem esse, manibus non tangat proprijs? Insuper dicit, Augustinum dixisse in libro ad Simplicianum, q. 2. & et alibi ex præuis meritis prædestinationem nasci, nec vsquam retractasle, cum tamen ex illo libro ad Simplicianum (dicant quidquid velint alij) non habeatur; & si in alijs scripserit, retractasle constet, vt in sequenti articulo ostendam. Interim ex dictis, in nostram sententiam esse, satis dilucidè cognoscitur; quæ, auctoritate Conc. Valent. sub Lothario Imp. c. 3. firmatur: Fatemur, inquit, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritū bonum. At nequis erret, à prædestinatione gloriæ, ad reprobationem argumentando, quod sicuti prædestinatio est ex liberalitate, ita reprobatio:

batio: Hinc reprobationis causam dari, & præuisa demerita esse, asseuero: quòd quamuis quamplurimis vijs probare possem, attamen ne legitibus caput obtundam, tribus rationibus, & vna, vel altera auctoritate, ipsaq; met definitione præstabo.

Reprobatio non est bona, nisi quia iusta, at iustitia retributiva punitiua demeritum supponit: Igitur Deus, qui iustissimus est, neminẽ nisi malus sit, reprobat: Ergo ex præuisis culpis hominis, hominem reprobat. Item, Deus prior ad miserendum, quàm ad puniendum est: verum si absque causa à cælorum regno hominem excluderet, de contrario constaret: Ergo &c. Præterea: Deus vult omnes homines saluos fieri, inquit Apłus; sed si absq; causa aliqua hominem à gloria excipit: cunctos homines saluos fieri minimè vult; consequentia clara est; Nam cui sine causa gloriæ portas claudit, saluandi illum voluntatem non habet: ergo &c.

Probatur auctoritate Ose. 13. Perditio tua ex te Israel, salus autem ex me. Si perditio ex ipso puenit, ergo ipsemet est in causa suæ perditionis; & per cõsequens, ex eius præuisis peccatis reprobat. Diuus Augustinus super Gen. ait: Deus non est prius vltor, quàm homo sit peccator. quo stante, Deus ex præuisis malis à regno cælorum secludit; alioquin prius esset vltor, quàm homo peccator.

Ceterum, ad edisserendam, explanandamq; definitionem descendamus. Reprobatio est præuisio iniquitatis quorundam ab æterno; subtractio gratiæ in præsentem, & preparatio pœnæ in futuro. Omnia attenti animo perpendamus: Præuisio iniquitatis; Ad ostendendam causam, non quidem propter quàm effectiue reprobat, inquantũ actio in Deo est; sic namq; Deum passibilem esse sequeretur: sed propter quàm huiusmodi actio, sic ad tale obiectum terminatur. Vnde sciendum, duplicem reprobationem à Theologis assignari; negatiuam alteram, alteram verò positiuam. Reprobatio negatiua ea est, qua Deus homini gratiam, gloriãq; non vult; nec aliud est, quàm gratiæ efficacis, atq; gloriæ priuatio, & negatio: nec de ista loquitur definitio, cum in reprobo nullam præuisam causam demeritoriam habeat, sed solum ex Dei placito oriatur. Exempli gratia. Iudas ab æterno se voluntati diuinæ offert, cui gloriã non præfinit; hinc negatiue reprobatus appellatur, idest non prædestinatus. Reprobatio verò positiua, est ob peccatum finale præuisum, à regno cælorum exclusio, ac ad æternas pœnas luendum determinatio, & de ista intelligitur in definitione: Quandoquidem primus actus voluntatis diuinæ circa Iudã, prout ei in puris naturalibus se offert, non est velle illum damnare; quoniam tunc sine causa id vellet: vnde necessitas vrget, quòd sub ratione peccatoris se offerat, si damnationem positiue illi præscribere vult; etenim reprobatio postulat, quòd aliqua, ex parte obiecti ratio sit.

scilicet peccatum finale præuisum, iuxta Scoti sententiam in primo sent. dist. 41. quæst. vnica. Hinc ergo, præuisio iniquitatis dicitur. Sequitur: Quorundam. Qui sint isti, nisi vel sacra Scriptura mentionem faciat, vel Ecclesia determinet, cognoscere non possumus. Dicitur: Ab æterno; Quoniam nihil diuinus ille intellectus, nisi in diuinæ essentia speculo intelligit; quæ cum æterna sit, quemadmodum & intellectus diuinus; hinc ab æterno cuncta prospicit. Sequitur: Subtractio gratiæ in præsentem. Si dicitur; Cum voluntas creata sine Dei gratia, & diuinæ voluntatis cooperatione, actui rectitudinem non det, non ei peccatum imputandum, atq; ascribendum, sed Deo: sicuti nec cæco in foueam corruenti assignandum, sed illi oculos eruenti attribuendum est. Respondeo, Deum, gratiam subtrahere, ac peccatoris cor obdurare; non, quo deterior euadat, irrogando: sed, quo melior fiat, adimendo. Vnde Augustinus epistola 105. ait: Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur: at potius ut non impertiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. hæc ibi. Exempli causa: Antonius philosophia ignarus omnino est, de ea illum possum informare, nec præsto: non positiuè, sed negatiuè illius sum ignorantia causa. Sic Deus non positiuè, causa peccati est, scilicet, quo deterior fiat irrogando; sed negatiuè, scilicet ne melior euadat auferendo. Ad vberiore notitiam suppono aliqua: Primò, quemlibet ad habendam gratiam deuictum esse per omnes Theologos, & præsertim per Scotum in 2. sent. dist. 31. & 32. in resp. ad tertium argumentum secundæ questionis. Secundò, gratiam ipsam immediatè à Deo creati; per eundem Scotum in 4. dist. 1. Tertio, ad dandam rectitudinem, & diuinam, & humanam concurrere voluntatem; illam tanquam causam principalem, istam, tanquam cooperantem; quæ si non cooperatur, actuique rectitudinem non tribuit, peccat, & in eam, nec in Deum culpa interitur. Hinc Scotus in 2. dist. 27. in solutione questionis tradit; quòd duæ causæ partiales ad aliquem effectum producendum concurrentes, defectus ex parte vnius causæ præcisè concurrentis, & non alterius esse potest; sicuti in aperto est de intellectu, & voluntate: Etenim ad ali-quod velle, tum intellectus, tum voluntas libera concurrunt; & nihilominus dicit Scotus in 3. dist. 25. Defectus in voluntate esse valet, & non in intellectu. Cum ergo ad velle hominis vtraque voluntas concurrant, diuina videlicet, & humana; defectus ex parte causæ, actui rectitudinem dare respicientis, ac dare obligatæ, provenit: nam diuina quis non teneatur, attamen quantum ex se, daret, si voluntas creata cooperaretur. Vniuersaliter enim, Qui antecedenter dat, & consequenter quantum in se est, tribuit; nisi quæ causæ grauior obstiterit: defectus ergo est in causâ inferiori, pro ut ei conuenit cauere, non

causante. Vñ Scotus dist. 36. eiudem, circa mediū, inquit: Quòd existente primo defectu in voluntate, ad rectitudinem debitam non cōcurrente, Deus ex hoc, ne in illo gratia conferretur, manententiam suam subtrahit. Dico igitur, quòd Deus, peccatorem se indignum reddentem, in se intuens, gratiam subducit, & remouet, ex quo, obduratio sequitur, ad instar duri corporis. Vnde Exod. 4. Ego indurabo cor Pharaonis: non in quantum obduratio illa peccatum est, ita namq; à libero prouenit arbitrio; sed in quantum pœna est. quoniã in patratæ culpæ pœnam, gratiam, cuius est prætenerū cor, & molle reddere, remouet: qua ablata, cordis obduratio oritur. Vel (vt in teclin. glos. ait) indurabo, id est indurare permittam. Laconicè igitur, dico, quòd nulla causa in prædestinato est, propter quam Deus prædestinet, sed ex sua munificentia facit; sed non nisi ex præuisis demeritis, reprobat. Et hæc sufficiant pro absolutione huius articuli. In sequenti verò rationes, ex præuisis meritis prædestinationem esse persuadentes, nullo labore enodabo.



Articulus tertius.



N hoc postremo articulo Hackeri, necnon aliorum rationibus cū respondendum sit; hinc in primis ad auctoritatem, quam ex Mattheo, c. 25. affert: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum & constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. *Quibus verbis (inquit ipse) causa parati, electis ab origine regni, id est æterna, & efficaci Dei voluntate præfiniti, in ipsa electorum merita refertur.* Multifariam respondeo: Primum, ordine retributio, & non prædestinatio intelligendam fore. Secundò, opera nostra causam esse prædestinationis, dupliciter accipi posse, hoc est, meritoriam, vel finalem: & non in primo sensu, sed in secundo loqui; videlicet, non meritoriam causam, sed finalem esse, nitari. Si postremò meritoriam causam esse, controuersetur. Id, duobus

bus modis contingere posse, inquam; scilicet, in Dei intentione, vel in executione, ac prædestinationis peractione, & in hoc secundo modo loqui, idest, prædestinationis explementum fore, autumo. Nam, vñ supra dixi: Esuriui, & dedistis mihi manducare; causam in æterna Dei præfinitione minime dicere, sed tantummodo temporalem executionem promere. Etenim intencionem, verba illa, Venite benedicti &c. satis perspicue, ac insigniter ostendunt. Hinc Chrysostomus hom. 6. in Matthei c. 20. super verba: Sed quibus paratum est à Patre meo; inquit: Non est meum dare vobis, sed quibus labore, atq; sudore præparatû est, secundum ordinem scilicet exequutionis: In quo sensu, & illud Apostoli, 1. ad Cor. 2. Oculus nõ vidit &c. quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Explicatur.

Ad illud Iacobi 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se. Ex quo infert Hæxerus: *Quibus locis* (scilicet ista, & supradictis auctoritatibus) *electio ad regnum præparatum, & promissum fidei, operibusq; dilectionis, manifestè tribuitur.* Respondet D. Augustinus de præd. sanct. c. 17. dicens: Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni. Vnde habetur, quòd idem est eligere, quòd facere: & per Augustinum antecedit electio ad fidem, necnon ad regnum, & ratione illius electionis, vtrumque recipit homo, scilicet fidem, & regnum.

Adiecit Augustinus: Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vñ in eis faciat, eos elegit. Et sic habemus ab Augustino, Eligere merita in prædestinatis, non esse, quòd propter merita eligantur; At eos ad merita eligere, quibus gloria potiantur. Si cum Vasquez respondeat, Iacobum non significare Deû fecisse pauperes in hoc mundo, quamquàm verum sit fecisse: esset Augustinum respuere, & à veritate recedere. Nam Deus (inquit Ps. 102.) pauperem facit, & ditat; humiliat, & subleuat. Si facit, vt ipse Vasquez consentit: cur non debet sic intelligi? Verum, si rectè verba ista examinentur, nostræ sententiæ suffragantur. Elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, scilicet elegit. De fide præuisa non est intelligendum; nam fides est donum Dei, nec credere possumus sine auxilio Dei: Igitur intelligi debet de fide formata, vel operibus in fide factis, & in gratia: hæredes regni, idest elegit. Ac si diceret, nonne Deus elegit pauperes, nõne elegit diuites in fide, nonne elegit hæredes regni, idest, nonne elegit ad fidem informem, formatam, & ad hæreditatem? Vel primò elegit pauperes; ecce prima vocatio, & electio; deinde operantur opera, æterna vita, digna: & sic fiût diuites in fide, & hæredes regni; Cõsecutiue igitur intelligendus est, non in intentione, & eò modo, quo alix expositæ sunt, ceteræ omnes intelligendæ sunt.

Ad auctoritates Patrum, Deû ex præuisis meritis prædestinare can-

tantes.

tantes, multipliciter respondeo cum multis. In primis, cum D. Augustino de præd. sanct. c. 14. dicente: Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum questione versari, quod proculdubio facerent, si responderè talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibuidam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur: verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo viuo, & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate seruitur, frequentationibus, aut orationibus simpliciter apparebat, Dei gratia quid valeret. Non enim poscerentur à Deo, quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur, ut fierent: Sed qui sententijs tractatorum instrui voluit, oportet ut istum librum sapientiz, vbi legitur c. 4. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, omnibus tractatoribus anteponanr. Secundò, cum D. Bonauent. in 2. sent. dist. 33. illos excessiuè locutos fuisse, declaro, ad aliam hæresim (opera scilicet necessaria non fore, defendentem) abolendam, ac ad bene operandum homines confortandum, ut ab ipso, Augustinus (dicens pueros absque baptismo decedentes æterno igne fore cruciandos,) exponitur, scilicet excessiuè loqui ad Pelagianorum hæresim, paruulos absque baptismo obeuntes, nullam penam luere aut manum funditus euellendam; nec mirum, quoniam veluti in moralibus via deueniendi ad medium, est aliquatiter procedere ultra medium, versus extremum; iuxta exemplum de virga à Philosopho, 2. Eth. traditum: Ita sancti in huiusmodi hæreses opera negantes, inturgentes, hæreticos ad medium reducendi, & ab eorum hæresibus amouendi gratia, quasi extremo adhaerere; dicendo, elaborandum esse, quandoquidem compressis manibus sedentibus, muscas flabello abigentibus, & otio indulgentibus, gloriam Deum tribuere minimè velle. Tertio, cum Dried. in lib. de concord. lib. arb. & diuinæ prædestinationis, p. 2. c. 3. ad tertium; dicente; Patres prædestinationis nomine, vltimum prædestinationis effectum, qui æternæ vitæ retributio est, intellexisse, quam vitam æternam, non aliter, quàm per bona opera homini conferre determinauit. Ad hæc porro: De operibus gratiam gratum facientibus sequentibus, & non de præcedentibus locutos fuisse, assero. Vel in executione, & non intentione; & ordine retributio, non prædestinatio fuisse assero. Vel causam finalem, & non in intentione meritoriam esse, sentisse. Vel nomine electionis non intellexisse actum diuinæ voluntatis æternum; sed temporalem discretionem bonorum à malis, quæ non nisi ex præcedentibus meritis fit: iuxta illud Math. c. 13. Elegerunt bonos in vasa, malos autè foras miserunt; sic erit in consumatione sæculi; scilicet, electio, & bonorum à malis, ex præuia

preuia distinctione meritorum discretio, & separatio; nam in intentione, non ex præiis meritis, sed ex sua misericordia ad æternam vitam prædestinat. At Hackerus num. dicit: *Hæc tamen responsio vim argumenti non enervat; Tum quia æterna illa voluntas ex se, & citra vllum ad merita respectum est efficax; ergo ex se, & quamquam nulla essent merita, re ipsa effectum habitura &c. Tum quia, cum gloria re ipsa nemini conferatur, nisi ex meritis, debuit ab æterno fuisse in Deo voluntas efficax illam conferendi ex meritis: nihil enim re ipsa in tempore fit, quod non ex vi, efficacis, alicuius in Deo ab æterno existentis voluntatis fiat: Aut ergo prior voluntas efficax gloriam gratis, & sine meritis conferendi fuit mutata, quod fieri non potest: aut duæ dantur in Deo voluntates, ex quarum alterius vi, & virtute gloria re ipsa gratis omnino, & sine meritis conferatur; alterius vi, & efficacitate re ipsa non nisi ex meritis conferatur, quæ est aperta repugnantia.* Fenum est herba sicca, admirabilis speculatio. Negatur igitur Dei voluntatem fuisse mutata, & duas in Deo voluntates reperiri, vnam sine meritis decretantem, alteram cum meritis gloriam tribuendam decernentem, bene ista ex ingenij hebetudine deduci conceditur. Etenim verum est, diuinam voluntatem citra vllum ad merita respectum, si absolutè sine meritis gloriam conferre vellet, efficacem fore, ex quo fieret, q̄ absque meritis tribueretur: nemini tamen sine ipsis datur, quoniam ab æterno, vt per merita obtineretur, sancitū fuit. Ad id ergo, quod ait: *Cum gloria nemini conferatur, nisi ex meritis, debuit ab æterno fuisse in Deo voluntas efficax illam conferendi ex meritis.* Concedo totū, (nam ab æterno efficaciter,) vt per merita tanquam per media obtineretur, deliberauit. At quando argumentatur: *Aut prior illa voluntas efficax gloriam, gratis, & sine meritis conferendi, fuit mutata, &c.* Dico, non fuisse mutata, quoniam nusquam sub opposito fuit; scilicet, quod sine meritis conferre vellet: & deinde cum meritis vellet tribuere, sed vnico voluntatis actu ex meritis, tanquam ex medijs, illā donare disposuit. Proinde, nec duas in Deo voluntates esse sequitur, ex quarum alterius vi, gratis illam tribueret; alterius vero, non sine meritis. In se namque, & pro substrato, ac formaliter, vna est, quamuis pro conoratu, & respectu obiectorum, plures dici possint. Vna (exempli gratia) est voluntas mea, qua Romam cum equo, proficisci volo, nihilominus vt ad Romam, & ad equum terminatur, plures vocari possunt; vna igitur Dei voluntas est, & vnico actu vult finem, & media ad illum, vult gloriā, & merita ad ipsam. Quæ omnia ex sua doctrina, si doctrina sua nominari fas est, lepidè deducuntur. Ait. n. num. 4. *Quamquam enim prouidentia, & prædestinatio re ipsa, vnus, idemq; actus sint. Is tamē vt res omnes accomodatis medijs in proprios fines, & per hos in vltimum dirigit prouidentia, vt vero præcisè creatis*

ras intellectuales, in finem supernaturalem destinatae, praedestinatio appellatur. Et Num. 13. inquit. *Vt igitur planiori via progrediamur in praedestinatione supra definita, duos diuinae voluntatis actus, quorum alter circa finem, qui praedestinati proponitur, alter circa media, quibus finis obtinendus est versatur, distinguimus.* Si igitur, numero 4. in se, vnum esse non dicat; & numero 13. duos actus esse obiectiue intelligat, apertissima contradictio foret. immo, & in dicto numer. 13. cum sequatur. *Nam cum Deus praedestinati utrumque definiat, & gloriam, & mediae gratiae ad illam, utroque efficaci diuinae voluntatis actu praedestinatio continetur.* Si sic, ad quid haec deducere?

Ad id, quod ex D. Augustino, quaest. 2. ad Simplicianum adducit. numer. 27. dicens. *libr. 1. ad Simplic. q. 2. non longe a principio sic. inquit. Non ergo secundum electionem, propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est: Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quae eligat, ideo manet propositum iustificationis, sed quia illud manet, ut iustificet credentes, ideo inuenit opera, quae iam eligat ad regnum caelorum.* haec Augustinus. *Ubi (dicit Hackerus) cum distinguat electionem ad gloriam, a proposito iustificandi, & illam ex hoc ortam affirmet, atque ideo homines a Deo electos ad vitam aeternam, quia Deus post iustificationem inuenit opera bona in ipsis, quae eligeret ad gloriam, euidenter sane electionem ad regnum caelorum, praemisso meritum examine, factam esse docet, &c.* Hanc Augustini sententiam in lib. ad simplicianum. assertam Vasquez. At diuersi diuersa dicunt, Bellar. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 15. concedit in libro illo ad Simplicianum in hanc fuisse sententiam, videlicet ex praecursis meritis Deum praedestinare, & ab ea postea aetate prouectiore recessisse, illamque in epistola 105. ad Sixtum, & in alia ad Paulinum, & in libris de praedestinatione sanctorum retractasse. Veruntamen Hackerus, vel potius Vasquez ait. *Hoc autem unde eruunt? cum nec minimum in D. Augustino appareat retractationis illius vestigium immo doctrinam toto illo ad Simplicianum libro traditam, 2. retract. c. 1. lib. 1. de praed. sanct. c. 4. lib. de bono perseuer. c. 20. & 21. ceu veram, sanam & genuinam summopere probet ac comedet, tamen abest, ut quidem ex ea velut mutatum. Quidam ait. Nec obstat quod dicit Vasquez in c. 7. nimirum D. Augustinum in lib. 2. retract. c. 1. & c. de libro ad Simplicianum meminisse, & nil eorum, quae in eo docuerat retractasse, cum vna cuiuslibet errori sufficiat retractatio. Quod vero in lib. de praed. sanct. c. 14. remittat Massilienses ad quaest. de gratia in dicto libro ad Simplicianum definitam, non officit, quoniam disputatio non erat de praedestinatione ad gloriam, sed de electione ad gratiam: & quoniam in dicta epistola 105. luce meridiana clarius apparebat cum ceteris Augustini operibus vulgata. haec ille. Suarez in suis opus. lib. 3. de auxili. grat. c. 18. num. 4. vers. postumus ergo. Respondet sic: Possumus ergo aliter respondere, Augustinum ali-*

aliquando mutasse, vel variasse loquendi modum; est sententia eius, ubiq; sit eadem. Duplex enim electio distingui potest ex eodem Augustino tract. 68. in Ioan. vna per modum intentionis, alia per modum executionis: Illa ergo antecedit merita; hæc verò fit ex meritis. Exponitur ergo Augustinus, quòd in illa quæstione ad Simplicianum loquatur de executiua, qualis est illa, de qua dicitur Matth. c. 13. Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: in alijs verò locis loquatur de intentione electionis, seu prædestinationis. Sed huic interpretationi obstat, quòd electio executiua est temporalis; nam est executio æternæ electionis, vt constat ex ipso Augustino, dicto tract. 68. in Ioan. At verò in citato loco ad Simplicianum, apertè loquitur de electione æterna &c. Respondetur tamen in ipsa æterna electione posse illas duas rationes distingui, vt etiam Bellar. notauit c. 14. infra; Electionem æternam duobus modis considerari posse: vno modo, vt est intentio dandi gloriam; alio modo, vt est dispositio executionis, & quasi executio in mente diuina. Priori ratione, inquit, antecedit electio; quia gloria in genere causæ finalis, est prior, quàm bona opera: Posteriori autem modo, subsequitur. hæc ille. Et tali via Augustinum conciliat. Ego autem ex citato loco, Augustinum ex præuisis meritis Deum prædestinare sentire, prorsus inficior. Augustinus, electionem ad gloriam à proposito iustificandi distinguit: transeat. Augustinus, illam ex ista ortam affirmat? concedo. Augustinus dicit, Deum post iustificationem opera inuenire, quæ iam eligat ad regnum cælorum. Ergo electionem ad regnum cælorum, præmisso meritorum examine, factam esse docet. concedo totum tanquam ex medijs, & in consecutione: nam ex liberalitate sua prædestinauerat ad regnũ cælorum, & ad media ad illud obtinendum, .i. ad opera meritoria, quæ sine gratia ædere nequibant: hinc & gratiam ad hoc tribuit, ipsosq; iustificat, & post iustificationem inuenit opera, & media ab ipso ordinata ad regnum consequendum. Amabo, Augustini verba, silentiò intueamur, & contemplemur. Non quia inuenit Deus opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis: sed quia illud manet &c. Cum electionem ex proposito manere dicat, & non quoniam opera, quæ eligat iustificationis propositum manere, & post iustificationem gratis concessam, opera in ordine ad regnum inuenire. Cum post iustificationem opera meritoria inueniat, & non ante iustificationem; & iustificatio post prædestinationem sit, per Augustinum de fide ad Petrum, vt in præcedenti articulo videre est. Si iustificatio est post prædestinationem; bona opera post iustificationem: Quis tam cæcus est, vt hic, de contrario constare non videat? scilicet non ex præuisis operibus Deum prædestinare; & opera esse media ad prædestinationem? cum ante præuisionem ipsorum

prædestinet, & post iustificationem intueatur? Et Hackerum cum quibusdam alijs colligere, quod Augustinus non seminavit? Vt ex operibus præuisis concludatur: auctoritas, ex præuisis meritis prædestinationem præcedentibus, & non iustificationem sequentibus, afferenda est. Loquitur igitur hic Augustinus de medijs gloriam consequendi, & non de causa prædestinationis in Dei intentione. Afferit etiam num. 50. Augustinum lib. de præd. Dei, c. 2. & 3. dicens: *Id quod alijs etiam in locis confirmat, lib. de præd. Dei, c. 2. & 3. Infra: ait (scilicet Augustinus.) Ex præscientia igitur offensionis ultionem, ut iustus Iudex, prædestinauit: sicut ex præscientia virtutis prædestinatio solet fieri remunerationis. Et serm. 7. de verbis Domini: Vbi similiter geminam facit electionem: alteram gratia, quæ est ad dona gratia, ex liberali Dei voluntate: alteram iustitia, quæ est ad vitam æternam, ex meritis gratia præuisis: Quoniam inquit: Quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, ut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. Ego verò dico, quod, & in c. 5. vel ultimo, de præd. Dei, in calce capituli etiam hæc verba tradit: Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse prænouit, hos prædestinauit ad gloriam, &c. Et his adiunguntur ab alijs, de art. sibi fals. impos. articulus 12. sed in eo nil habet, nisi quod prædestinatio de filijs Dei facit nos filios diaboli; ut ei imponebatur: vnde concludit. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi. Si dicatur; Augustinus ait: Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & sanctitate, ac veritate mansuri, &c. Sensus est. Reprobati sunt, quia præsciti sunt casuri, nec reuersuri, nec in veritate mansuri; quoniam prædestinati, & si labuntur, reuertuntur. Et quod 233. de tempore tradit; dicens: Multi scire volunt, quare illum vocat ad se dominus, & illum non vocat; vni subuenit, & vni non: Hunc dignum habet, & illum indignum? Audi, o homo; Hunc dignum habet pro bonis operibus suis: illum habet indignum pro operibus suis malis. Solet, & c. 22. de bono perseuer. sed perperam; quoniam potius contrarium ibi astruit. Sed in lib. 73. quæst. q. 68. ait: Prorsus, cui vult miseretur, & quem non vult, indurat: sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest. Infra: Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, qui, quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione: & item præcedit in alijs peccatoribus, quo digni sint obtusione. Et ad Rom. c. 8. n. 55. & 60. Breuiter dico, quod si aliquo in loco dicit, ex meritis prædestinationem esse, intelligitur de consecutione gloria; & non de prædestinatione ad illam in Dei intentione, aliàs contradictio foret in ipso, quod neus esset, nec in tanto sancto macula vlla admittenda. Demum, sententiam retractasse non solum in locis supra citatis à Bellarm. verum in lib. 1. retract.*

¶ 23. quam D. Bonauentura in primo dist. 41. super litteram. Scotus in dicta dist. q. vnica. Magister sent. ibi. & alij quamplurimi recitâr. Et Augustini verba hæc sunt: Iam disputans quid elegerit in nõdum nato, cui dixit; maiorem feruïrurum esse minorem. infra: Ad hoc perduxì ratiocinationem. Non ergo elegit Deus opera cuiuscunque in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam consequeretur. Infra: Profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ datur in eodem spiritu. hæc Augustinus. ibi, In multis locis, quia dixit ex operibus præuisis prædestinationem esse, In epistola ad Rom. c. 8. dixit, Non ex operibus præuisis, sed ex fide præuisa nasci: hic verò, nec ex fide præuisa; & retractat quæ dixerat. Si dicat, de electione ad gratiam loqui; & retractare quod dixerat; videlicet, ex operibus præuisis, vel fide ad primam gratiam prædestinare: Erigat aures, Magistroq; sententiarum præbeat, sic loquenti: Cum gratiæ, quæ opponitur homini ad iustificationem, nulla sint merita, multò minus, & ipsius prædestinationis; quæ ab æterno elegit Deus, quos voluit, aliqua possunt esse merita. hæc ille. Quæuis, & de gloria expressè loqui, cognoscatur verbis illis: Etiam vitam æternam consequeretur, clarius. Dixerat non opera, sed fidem in præscientia cognouisse, & quem crediturum fore præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Ecce quòd dicit, ex fide præuisa elegerit ad gratiam: & insuper apertè ostendit, non præuidisse opera in ordine ad beatitudinem, vt ex eis prædestinaret, sed elegit, vt ipsa ederet, ei dare Spiritum sanctum, & ita vitam æternam adipisceretur: vnde si retractauit primam sententiam, à fortiori secundam retractatam esse cõspicitur. & vna sufficit omnibus. Deinde continuationem attende. Ex fide præuisa meruit ad gratiam prædestinari, & ad Spiritum sanctum, cui cooperando vitam æternam obtineret: Ecce ex præuisa fide sentijisse, debere ei illum in ordine ad gloriam concedere; ita quòd excludens opera, dicens non ex operibus, & excludens fidem præuisam, quòd ad gratiam, excludit & quòd ad gloriam.

Ad illud: *Prædestinatio gloriæ est voluntas efficax conferendi vitam æternam, & ita ab æterno decernitur, vt in tempore euentura est: At in tempore nulli aduultorum datur, nisi ex meritis. Ergo ab æterno nemini, nisi ex meritis decretata fuit.* Respondeo totum concedendo; nam nil probat, nisi quòd ab æterno sancitum fuit, vt per merita obtineatur; nec probat ipsa, causam prædestinationis in Dei intentione fuisse: Vnde ad minorem, *Nulli datur nisi ex meritis &c.* Vel tanquàm ex medijs, vel tanquàm ex causa in intentione. Si tanquàm ex medijs, concedo; at si vt ex causa, inficio. Quam respõsionem ex de-

finitione sua prædestinationis, num. 4. accipio: *Prædestinatio* (inquit) *est decretum diuinæ voluntatis æternum, & efficax ea conferendi hominibus gratia media, quibus in vitam æternam re ipsa, & infallibiliter perducatur.* Ecce media esse, & huiusmodi esse: num. 13. clarius promittit; ergo &c. Si obijciat: sicut remedium peccati ratio est, cur Christus sit volutus; ita præuisæ operationes sunt causa, cur homo prædestinetur ad gloriam. Respondeo, vnum volitum, alteri volito ordinatum esse; bifariam intelligi posse, vel, vt ordinem ad diuinam voluntatem habet, vel vt diuinæ voluntati ratio est, vt velit: Primo modo concedo, at secundo nego. Ratio negationis est, quoniam sic voluntas Dei subordinaretur voluntati hominis, & esset ipsius pedissequa, vt clarius infra dicitur. Si instet cum Valentia. In libris Prophetarum passim occurrit ille dicendi modus. Propter hoc, hæc dicit Dominus Esai. 1. & 7. Hierem. 15. Respondeo, quod dicere propter hoc, & velle hoc, propter hoc, maximè discrepant; nam dicere est effectus Dei, ad alium effectum ordinatus: velle autem, est interior diuinæ voluntatis actus; Vnde cum Prophetæ cantent: Propter hoc, hæc dicit Dominus; nec dicant: Propter hoc vult Dominus, nobis non aduersantur. Vnde D. Tho. p. p. sum. q. 19. art. 5. in corpore quaestionis, inquit: Considerandum est, quod cum voluntas consequatur intellectum; eo modo contingit esse causam alicuius, volentis, vt velit, & alicuius intelligentis, vt intelligat. In intellectu autem sic est, quod si seorsum intelligat principia, & seorsum conclusionem: intelligentia principij est causa scientiæ conclusionis: Sed si intellectus in ipso principio inspiceret conclusionem, vno intuitu apprehendens vtrunque: in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum, quia idem non est causa sui ipsius. Similiter ex parte voluntatis, circa quam sic se habet finis, ad ea quæ sunt ad finem, sicut in intellectu principia ad conclusiones. Vnde si aliquis vno actu velit finem, & alio actu ea, quæ sunt ad finem, velle finem erit ei causa, volendi ea, quæ sunt ad finem: Sed si vno actu velit finem, & ea, quæ sunt ad finem, hoc esse non poterit; quia idem non est causa sui ipsius. Et tamen erit verum dicere, quod velit ordinatè ea, quæ sunt ad finem, in finem. Deus autem sicut vno actu, omnia in essentia sua intelligit; ita vno actu vult omnia in sua bonitate. Vnde sicut in Deo intelligere causam, non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa: ita velle finem non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem; sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse, propter hoc, sed nõ propter hoc, vult hoc. Hæc Diuus Thomas. Sic ego ad obiecta respondeo, quod vult merita in ordine ad finem, nec vult finem propter merita.

Ad confirmationem. *Quoniam si sine meritis alicui gloriam prestet*
viges

nisset gratis, & sine meritis obtineret. Sine meritis gloriam præfinire, stat duobus modis; scilicet absolutè, sine illis: vel cum illis, sed minus principaliter. Primo modo concedo, quòd si absolutè præfinisset sine meritis, etià sine illis obtineret. Negatur tamen sine meritis sic prædestinasse: nam quamuis principaliter ex mera gratia ad gloriam prædestinauerit; minus principaliter tamen ad merita: Non exclusit igitur respectum ad merita, sicut nec ad ea formaliter habuit; hincq; fieri, vt gratis ad gloriam elegisse dicatur, quamuis sine precedentibus meritis tribuere nolit. Quod Augustinus de gratia, & lib. arb. c. 7. explicat, dicens: Si ergo De dona sunt bona merita tua, nõ Deus coronat merita tua, tanquàm merita tua, sed tanquàm dona sua. Proinde consideremus ipsa merita Apostoli Pauli, quibus dixit, coronam redditurum Iudicem iustum, & videamus vtrum merita ipsius tanquàm ipsius, idest ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. Bonum (inquit 2. Tim. 4.) certamen certauit, cursum consumaui, fidem seruaui &c. Primò, ista bona opera, si nõ ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaq; quid de ipsis cogitationibus dicat: ait enim scribens ad Corinthios, 2. c. 3. Non quia idonei sumus cogitare aliquid ex nobis, tanquàm à nobis met ipsis, sed sufficiètia nostra ex Deo est. Deinde singula inspiciamus. Bonū, inquit, certamen certauit. *Quæro*, qua virtute certauerit: Vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit. Sed absit, vt tantus Doctor gentium ignorauerit legem Dei, cuius vox est in Deut. 8. Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriã, nisi ille, de quo dicit ipse 1. Cor. 15. Gratiã Deo, qui dat nobis victoriã per dominum nostrum Iesum Christum &c. Deinde dixit: Cursum consumaui. Sed ille hoc dicit, quia alio loco dicit Rom. 9. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Quæ* sententia nullo modo potest etiam sic conuerti, vt dicamus, non miserentis Dei, sed volentis, & currentis est hominis; quis quis enim hoc ausus fuerit dicere, apertè se ostendet Apostolo contradicere. Postremò dixit: Fidem seruaui. Sed ill e hoc dixit, quia alibi 2. Tim. 4. ait: Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Non enim dixit: Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed vt fidelis essem: hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi, nisi Deo miserante non posse, & esse donum Dei. Quod apertissime docet Ephes. 2. dicens: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed Dei donum est, &c. Infra: Rursus ne dicerent se, suis operibus, donum tale meruisse: continuò subiecit. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Non quia negauit, aut euacuauit opera bona

cum dicat, Deum unicuique reddere, secundum opera eius; sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiae, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: Iustus ex fide vivit. Et infra: Sed quia & ipsa bona opera nobis ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio; propterea idem ipse Doctor gentium, etiam ipsam vitam aeternam gratiam nuncupavit. hæc ille. Unde non proinde sequi, (& si opera requirantur) gloriam ex gratuita Dei bonitate decretatam non esse.

At Hackerus num. 60. dicit: *Alij demum hanc elabandi viam quaerunt, ut gloriam non quidem ex meritis, nec tamen sine illis decerni asserant. Et num. 61. sequitur: Hi vero ordinem, qui nostro concipiendi modo, inter actus divinae voluntatis constitui solet, prorsus evertunt. Nam cum ordo actuum voluntatis divinae ex ordine rerum, quæ divinae voluntati obijciuntur, estimari debeat; ut quo inter se ordine res nexæ, et iugatæ sunt, eodem etiam intelligantur à Deo volite: & si una posterior alia, & ex alia sit; posterius etiam illa, & ex illa volita, & decretata esse censi debeat: merita verò, & vita aeterna, ita inter se ordinata, & apta sunt, ut hæc tam in ordine intentionis, quam executionis, posterior meritis, & ex illis sit, &c.* Si verum esset quod ipse dicit, actum utique de philosophia foret; In intentione finem medijs, ad illum priorem esse, decernente. Quoniam si, ut dispositæ sunt, à divina voluntate volitæ intelligendæ sunt: media omnia cuiuscunque finis, sine priora existunt: & sic, cuiuscunque; finis media, ante illum intenta fuissent: Medicina prior sanitate: Pistrinum farina; trapetum, oleo; vericulum, piscibus: & sic de omnibus alijs, quod est apertissime falsum: Nam in intentione, primò est sanitas: hinc ad illam consequendam deinde medicina inuestigatur: Primò in intentione est farina, hinc pistrinum, & mola ad molendum: Primò in intentione sunt pisces: hinc vericulum, cassis, & rete ad piscandù, & ita de omnibus alijs, ut satis opimè in prima ratione ostendi. & ut dicit Tho. Vult hoc esse propter hoc; sed non propter hoc vult hoc. Ad id, quod subdit: *Vnde alium ordinem fingere, est à vero sensu, & recto ordine diuortium facere.* Dico aliter sentire non solum esse, ab Aristotile diuortium facere, ac à vero sensu, rectoq; ordine recedere; sed nusquam philosophiam in vxorem duxisse, ratione usum fuisse, integroq; sensu præditum extitisse, palam facere.

Ad illud, quod habet: *Altera ratio aduersam partem absurditatis poscit: Nam si Deus ex se solo, & ante omnem cooperationis humane præscientiam efficaciter hominibus gloriam præfinit, alterum consequens est: aut in hominis libera potestate, ut salutem consequatur non esse: aut efficax Dei decretum fieri posse irritum. Nam posito illo decreto efficaci, vel potest is, cui gloria præfinita est, gloriam non consequi; vel non. Sed*

non potest, igitur posito decreto illo, non erit liberum homini salutem consequi, siquidem libertas in utramque partem, nisi posse debet. Sin potest, efficax Dei præfinitio erit irrita. Dico, quod sicut scientia Dei infallibilis, rebus necessitatem non imponit, ita nec voluntas efficax, quæ stat cum libertate nostra, cui assistens, atque præcausans, voluntas nostra non potest non agere, ea necessitate, qua dicitur. Omne quod est, quando est, necesse est esse: & se ad gratiam, non secus, atque ad seipsum equus, habet. qui, si vellet (etiam calcariis ei adiunctis) posset non currere, immò in terram se prosternere: nihilominus currit: Sic liberum arbitrium hominis (ait Augustinus Pelbarto referente, lib. 2. in verb. liberum arbitrium, §. 15.) posset non operari, attamen gratia sufficientum cum iocunditate operatur. Vnde de Apostolis legitur: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, &c. Nonne vnusquisque, vita viuere desidero flagrat, & mori timet, & refugit? Martyres, nonne Tyrannis, obtemperando vitam ducere, & mortem declinare valebāt? Nonne libero erant insigniti arbitrio? & nihilominus gratia adiuti, libenti animo mortem subiere. Stat igitur cum libertate gratia efficax, libertatem non adimit, sed perficit. & aliter dicere est, meritum in Martiribus negare; ad martirium namque, vt pro Christi fide, & liberè, & voluntariè moriatur, requiritur. Vnde si non liberè, sed coactè mortem subijissent, martires non fuissent; quamuis ergo potuissent, non mori; attamen gratia absorpti nil longius eis videbatur, quàm pro Christo vitam profundere, & mori. Quid? fortasse, quia Beata virgo non peccauit, quia Christus, quia Sancti, quia Deus peccare nequunt; ideo liberum arbitrium non habere, dicendi sunt? absit. Vis intelligere quò pacto ista gratia cum libero arbitrio maneat, attende innatum amorem, & à fortiori de Diuino argumentare. Puella amasio suo, vt aliquod, etiam existimationi suæ repugnans faciat, præcipit: hoc animaduertit, & nihilominus facit, & non potest, ardenti illius amore ductus, non facere; quia facit, hinc non liberè? absit. nam liberè, & cum ingenti gaudio facit. Si humanus amor id operatur, diuinus humano longè superior id non præstabit? talia loquentes, se diuinum amorem ad bene operandum non gustasse, ostendunt. Si illum adhuc rogamus, dicendo: Actiones nostras, quasumus dominæ, aspirando præueni, & adiuuando profequere, &c. Quomodo liberè non consentit? Nulli dubium est, quòd si duo obiecta voluntati præsententur, quorum vnum alio præstet, quin præstantius eligat: Cum igitur diuinus amor, rebus temporalibus præstet, quid mirum, quòd, & si liber homo in eligendo sit, gratia Dei adiutus illud eligat, & istud floccifaciat, spernat, & compescat? Non ne in Matematicorū sententiam, corpora cælestia hominibus necessitatem operandi impo-
nere, autumantium, cadere sentis? Quamplurimos ad furtum, ad

adulteria, ad necēs, & similia inclinant; Sciunt mala esse, & mortis pœnam statutam, & nihilominus illarum constellationum vi inclinātū perpetrant, capiteq; plectuntur; quia inclinatione cum delectatione, etiam ad malum sequuntur: ideo non liberè absit. Si istæ operationes malæ stant cum libertate. Cur, cum libertate non erunt, quæ ab influxu gratiæ procedunt? nunquid Deus est cœlo inferior? Semper igitur hominum operationes ex gratia, vel cum gratia efficaci factæ liberæ sunt. Nec verum est, quod ipse num. 134. dicit: *Deus potest phisico concursu, aut impressa aliqua qualitate, ita impellere voluntatem creatam ad aliquos actus exercendos, vt supposito illo concursu, vel qualitate nulla remaneat libertas, ad eos non eliciendos.* Nā Deus liberum arbitrium, iuxta omnes Theologos, cogere nequit, & semper libertas manet, quamuis ligata (vt ita loquar) existat, vt in stultis liquet. Ratio; quoniam nullum de se indifferens ad vtranq; contradictionis partem, cogi valet; sed liberum arbitrium est huiusmodi: ergo cogi nequit. Maior patet; quoniam cogibilitas, vt ita loquar, & libertas, ad bonum, & ad malum indifferenter opposita sunt: vnde si ad aliquam partem cogatur, iam libera non erit, nec indifferens. Vnde D. Bernardus: *Voluntas pro ingenita sua nobilitate nulla cogitur necessitate.* Per minas induci potest, ac per rationis ligationem impediri, vt de amentibus liquidò constat, at cogi nusquam. hinc est, quod libertatem cogi posse, dicere à veritate alienum est. Manet igitur (vt ex iam dictis patet) cum libertate efficax gratia.

Dubium non est ergo, quin prædestinatio efficax, & liberum arbitrium inter se aptæ, coherentesq; sint. Et ipsemet num. 127. rebatur his verbis: *Cohærere prædestinationem, & reprobationem, cum illega libertate arbitrij creati, nemo catholicorum ambigit. id enim fide certum est.* Si fide ratum est, ad quid hoc in dubium vertere? Responsum fortè dabit; id fide firmum esse, quoniam voluntas Dei, cum humana cohæret, & non eo modo, quo alij rentur. Sed iuxta ea, quæ ipse numero 140. tradit. Audiamus. *Vt ergo (ait) libertas nostra cum diuina præfinitione, &c. consentiat. Statuendum est, aclum diuinae voluntatis, quò Deus opera nostra efficaciter, & sigillatim præfinit, non antecedere causalitate, sed comitari determinationem nostræ voluntatis; ita vt non prius, sed in eodem prorsus durationis natura, & rationis instanti, Deus eas humanae voluntatis actiones; quæ liberè, & contingenter fieri debent, æterna, & efficaci voluntate decreuit, quo voluntatem humanam ad easdem liberè se determinaturam præsciuit: sicut re ipsa, & in tempore non antea ad operationem concurrat, quam voluntas actu se determinet. Nam eadem ratio est temporarij concursus cum actuali voluntatis determinatione comparati, quæ est decreti æterni, & efficaci cum determinatione voluntatis præscita. ex infinita enim scientiæ sue eminentia no-*

ut Deus, quid voluntas humana si in hoc, aut illo ordine rerum consi-
 ueretur, his vel illis præsidij instrueretur, factura, aut non factura es-
 set. Exempli gratia: Voluntatem Pauli si in his circumstantijs posita
 tali gratia actuali præueniretur, certò censuram; sin alia ea minus si-
 bi attemperata, certò repugnaturam &c. Quæ sententia cum sibi ipsi
 non quadret, nec mihi arridet: Nam num. 93. scribit: *Ex diſſis tria*
colligi poſſunt. Primum eſt: Quam cenſuram mereatur opinio eorum,
qui cauſam meritoriam primæ gratiæ faciunt bonum arbitrij uſum ex ea
ſubſequentem; ita ut ideo Deus aliquem congruè uocare ab æterno ſta-
uerit, quia uocatione illa bene uſurum eſſe prænouit. Quamquam enim
ab errore Semipelagianorum procul abſit, &c. ſimpliciter tamen falſa, &
repudianda eſt. Quid eſt ſtatueri ab æterno uocare, quia uocatione
bene uſurum prænouit; quam gratiæ conſenſuram præuidere, ac pro-
inde gratiam ei prædeterminare? Si iſta opinio reiſcienda, nec ei pla-
ceret; reſpuat & aliam, cum vna, & eadem ſint. Num. 77. inquit: Con-
tra hos ſtat immota Catholicorum ueritas: in homine prædeſtinato, nul-
lum; uel minimum opus, aut operis ueſtigium deſignari poſſe, cuius in-
uuitu, uel occasione Deus primam ipſi gratiam, uel in tempore donet,
uel ab æterno præparauerit: ita ut omnibus, quæ in ipſo homine præde-
ſtinato conſiderari poſſunt circumſcriptis, unica, & adequata huius ad
congruam uocationem electionis cauſa, ſit gratuita uoluntas Dei. Nu-
mero 78. probat & Auguſtini, & aliorum auctoritate. Num. 79. con-
trariam ſententiam à Leone Papa, epiſt. 84. à Cœleſtino epiſtol. 1. ad
Epiſ. Galliæ, à Concil. Arauſic. 11. can. 3. 4. 6. & 25. & à Concil. Trid-
ſeſſ. 6. reprobata dicit. Num. 80. probat ſacræ ſcripturæ teſtimonijs,
dicens: Accedunt grauiffima ſacræ ſcripturæ teſtimonia: ad Rom. 9.
Non uolentis; &c. & inter alia ad Ephes. 2. Ipſius facturæ ſumus crea-
ti in Chriſto Ieſu in operibus bonis; ſuper quæ uerba ait: Ubi qui ad
gratiam eliguntur, dicuntur creati in Chriſto Ieſu, quia ſicut in creatione
nihil præcedit ex parte eius, qui creatur, ita nec in electione. Si,
quemadmodum in creatione; ita in electione nil ex parte eius, ut eli-
gatur, præcedit: Igitur ex præuiſione conſenſus uoluntatis, ad gratiam
non prædeſtinat; at ex ſua bonitate: unde fit, quòd proprijs armis ſe
iugulet. Ego autem ſtare non poſſe quod hic ait; luculenter, quibus-
dam iactatis fundamentis, oſtendam. Primum eſt: Quòd actus acti-
uorum ſunt in patiente bene diſpoſito, 2. de anima, t. c. 24. Ex quo. n.
idem eſt actus motiui, & mobilis. 3. phyſ. t. c. 17. & 3. de anima, t. c. 139.
Eadem enim forma ſubſtantialis, quæ ab igne producitur; eadem nu-
mero, in paſſo, tanquàm in materia aliena reperitur; quoniam ex 2. de
anima, t. c. 47. nil phyſica actione in ſe ipſum agit: Igitur paſſum diſ-
poſitum deſiderat. Secundum, quòd ad hoc, ut paſſum aliquod,
ab aliquo agente patiatur, tria requiruntur: Primò, quòd ſi paſſum

indispositum est, disponatur; puta, si materia, quæ est sub forma ligni formam debet recipere ignis, vt disponatur opus est, quando quidem illa forma stante, disposita minimè est; hinc ignis per suum calorem, tanquam per dispositionem præuiam, (contrarias qualitates in eo existentes trudendo) lignum disponit, & in ultimo dispositionis instanti, ligni formam corrumpit; qua deleta, in instanti forma introducit ignis, atq; passum sibi assimilat: Ratio, quoniam forma perfecta substantialis non introducit, nisi primò forma dispositiua imperfecta, & accidentalis (quemadmodum calor est) introducat. cum huiusmodi formæ, in produci sic sint subordinatæ. Secundò exposcitur; passum in eadem spherâ, ac zonâ actiuitatis agentis esse, 1. de gen. t. c. 51. & 53. Ex quo .n. agens naturale virtutis est limitatæ, ad quamcunque distantiam agere nequit. Tertio, quod desideratur, est, passum in materia cum agente communicare, idest, quòd agens naturale in passum agere nequit, nisi illud quantum sit, ac sub modo quantitatiuo; hinc Christi corpus in hostia: & si quantum eadem quantitate, qua fuit in cœna, ab oculis nostris videri non potest, quoniam modi quantitatiui expers est. Tertio suppono: Ad hoc, quòd agens in passum agat, per contactum, vnà cum passio esse, debere. 6. phy. t. c. 1. & 7. phy. t. c. 8. & 5. phy. t. c. 22. & 1. de gen. t. c. 43. & 44. Aduertendum tamen, contactum (iuxta Scotum in 4. dist. 44. q. 2. in solutione tertij argumenti) duplicem esse: mathematicum scilicet, & virtuale. Contactus mathematicus est, quando vnum tangit aliud, idest quando vltima aliquorum (vt duæ superficies) se tangunt, & simul sunt, qui contactus per præsentiam, atq; accessum corporalem vnius ad aliud, fit, vt illud tangat. Contactus virtualis est, quando agens virtutem cau- sandi aliquid in passio habet; vt cœlum sua forma substantiali mediante, in terræ visceribus mineralia producit; licet primò quandam influentiam, vt dispositiuam, materiae immittat; per eam tamen nullam substantiam generat, quandoquidem accidens, substantiam generare nõ valet; aliter perfectius ab imperfectiori generaretur, quod absurdum omninò est: Et nihilominus Sol, & cœlestia corpora per contactum mathematicum, præsentia, istis inferioribus non sunt. Quarto suppono, quòd licet Deus (vt ait Scotus distin. 1. quarti, q. 6.) possit culpam, tum originalem, tum mortalem dimittere, hominemq; (gratiam non conferendo) de sua absoluta potentia saluare; attamen de potentia ordinaria sine gratia facere non potest: Quoniam, licet possit esse medium absolutum sine contradictione in humana specie inter filium regni, & filium perditionis, scilicet homo in puris naturalibus; attamen postlapsum, de potentia ordinaria reperiri nequit, & sine gratia nemo saluari valet, nec alicui potest tribui absq; præuia dispositione, per quam ad illam recipendam disponatur. His positis, & c.

Mackeri non posse sustineri, aperio. Cùm ad productionem gratiæ
 supradictæ conditiones, & supposita requirantur. Primò namq; dis-
 poni debet, vt sufficiens, necnon proportionatum receptiuum gratiæ
 sit, per primum, & secundum præsuppositum: idè agens ipsum dis-
 ponendi gratia, quandam influentiam spiritualem immittit; scilicet,
 internam inspirationem, qua ad peccatum relinquendum disponatur.
 Secundo, ad hunc influxum recipiendum, & vltimatè gratiam; requi-
 ritur, quòd sit in eadem spherà actiuitatis ipsius agētis. Quamuis igitur
 nullus reperitur locus, vbi non sit Deus, cū vbiq; sit: vnde Pro-
 pheta: Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernū, ades:
 si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, tu
 illic es. & manu teneat manutenentia, & illapsu generali: tamen in
 peccato manens à Deo elongatur, vt Ps. 72. testatur his verbis: Ecce
 qui elongant se, à te, peribunt, manutenentiæ. s. spirituali per gratiam.
 vnde Propheta: Longe à peccatoribus salus, scilicet per carentiam: De-
 bet ergo spheræ actiuitatis approximari; peccata scilicet detestando.
 Tertiò requiritur, quòd agens supernaturale (ad hoc, vt illud agat) si-
 mul cum passo sit per cōactum, non mathematicum, sed virtualem;
 quoniam, vt Scotus (in 4. dist. 44. vbi supra) inquit: Si Deus extra or-
 bem Lunæ foret, adhuc per virtutem actiuam, terræ centro præfens ef-
 fet: Probatur à fortiori, quoniam Sol, qui in suo orbe est, (vt Scotus
 in 37. dist. primi ait, & de facto videtur) in remotum, scilicet in visce-
 ribus terræ operatur, mineralia generando, nō cōactu mathematico,
 sed virtualem, cum ibi præfens nō sit. A fortiori Deus, qui infinita vir-
 tutis est, in hominem (esto per impossibilem, quòd non esset ei præ-
 fens, per præfentiam, & essentiam, sed solum virtute) iustificationem
 operari valet. His positis, facta à Deo dispositione in anima, ipso ac-
 ceptante, forma spiritualis, scilicet gratia sequitur. Vnde cū ab agē-
 te dispositio fieri debeat, non requiritur, quòd præuideat dispositio-
 nem factam, & ex ea, gratiam iuxta dispositionem tribuat; cum ip-
 sius sit disponere. Confirmatur. Quoniam diuina voluntas, in re-
 bus quas eligit, bonitatem minimè desiderat, quemadmodum creata
 voluntas optat. Patet 2. Cor. 3. Idoneos fecit ministros noui testa-
 menti: si sic, igitur causâ sine qua non, ex parte nostra assignanda nō
 est; ergo, non quia præuidet consenturam, & in tanta dispositione; tã-
 tam largitur gratiam. Amabo, est ne intrinsicè homo voluntati di-
 uinæ in operando subordinatus: vel diuina, voluntati humanæ? Si di-
 cas, diuinam humanæ voluntati subordinatam esse: Et posteriorem,
 humanæ voluntati cogeri confiteri, & vtrumq; fari, blasphemia est. Si
 hominem Diuinæ voluntati subordinatum in operando esse dicis, ita vt
 nihil velle, aut facere sine Deo possit, vt in Ioan. docet Saluator, di-
 cens: Sine me nihil potestis facere. teneris, & affirmare Deum non

ex dispositione, quam præcognouit in homine, ad tantam gratiam illum prædestinasse, sed ex sua bonitate. Quis dubitat, voluntatis naturam à causa inferiori determinari, ac arctari, repugnare? quandoquidem (teste Scoto in 4. dist. 49. q. 6. ad argumenta) hoc ipso superior nõ esset. Si igitur (vt tu hic affirmas) à dispositione hominis ad gratiam largiendũ, diuina moueretur voluntas: ab inferiori causa determinaretur: Hoc esse nequit: Igitur &c. Si stat immota catholicorum veritas, vt nec minimum vestigium operis designari possit in prædestinato, quo prædestinetur; & omnibus circumscriptis, quæ in illo considerari queunt, nisi gratuita Dei voluntas est, quæ id operatur, vt numer. 77. dicit. Si, inquam omnibus, quæ considerari possunt circumscriptis; ergo & illa dispositione, quæ contemplatur, & consideratur; ergo ad gratiam ex illius præuisione non prædestinat. Si reprobata est, vt num. 79. tradit, & scripturæ testimonia adsunt: vt num. 80. luculentè ostendit. Si procul ab errore Semipelagianorum abest: dicere Deum aliquem eligere, vocare, & prædestinare; quoniam uocatione bene vsurum prænouit: Ad quid ex præuisione determinationis modo sustinere? cū sit idem per diuersa? prænouit bene vsurum uocatione; & prænouit se determinaturum: uocatione bene uti, determinare se consentire, ad operandũ, idem sunt. vnde fit, q̄ ab Augustino inter errores Pelagij collocetur, vt videre est in libro de grat. & lib. arb. c. 14. vbi sic discurret. Sed cum fuerint conuicti (ait Augustinus) non defensores, sed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrii; quia neque scientia diuinæ legis, neque natura, neque remissio peccatorum, est illa gratia, quæ per Iesum Christum dominum nostrum datur; sed ipsa facit, vt lex impleatur, vt natura liberetur, ne peccatum dominetur. Cùm ergo his conuicti fuerint, ad hoc se conuertunt, vt quocunq̄ modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari: Dicunt enim, & si non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundum merita bonæ voluntatis datur, &c. Infra propè finem inquit: Quis ita sit cecus, vt non videat: quis ita lapideus, vt non sentiat istã gratiam non secundum merita bonæ voluntatis dari; Domino dicente, atq; testante &c. Et contra duas epistolas Pelag. c. 8. dicit, nec cupiditatem bonum faciendi in nobis esse, his verbis. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum esset meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium; ac sic gratia Dei nõ gratis donabitur, sed meritum nostrum dabitur: Dominus autem, vt responderet futuro Pelagio, non ait. Sine me nil difficile potestis aliqd̄ facere: Sed sine me nihil potestis facere. Et vt responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa euangelica sententia, non ait. Sine me nihil potestis perficere; sed facere. Infra. Loquimur enim nunc de boni

ni cupiditate, quam si voluntariò vis incipere, à Domino perfici: videant quid respondeant dicenti Apostolo 1. Cor. 3. Non quia idonei fumus cogitare aliquid, quasi ex nobis ipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Infert deinde Augustinus, dicens: Cùm minus sit cogitare, quam cupere, potest enim homo cogitare bonum, quod non dum cupit, &c. Quomodo ad id, quod minus est, id est ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei, &c. Et ad id, quod amplius est, id est ad cupiendum aliquid boni, sine diuino adiutorio idonei fumus ex libero arbitrio? Neque enim hic Apostolus ait: Non quia idonei fumus cogitare quod perfectum est, tanquam ex nobismet ipsis, sed cogitare ait; aliquid qui contrarium est nihil &c. Sed nimirum, quod scriptum est: Hominis est præparare cor; non benè intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Infra; Absit, vt sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei catholiciæ desertores. Ideo quippè scriptum est: Hominis est præparare cor, & à domino responso lingua; quia homo præparat: nõ tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor. hæc Augustinus. Et in calce, c. 9. ait: Hominis autè propositum bonum adiuvat subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. infra: Ab illo inspiratur (scilicet studium, de quo loquitur Augustinus) de quo Apostolus: Gratias autem Deo, qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi. Si studium quisque, vt pro alijs habeat, Deus dat, vt pro se ipso habeat, quis alius est daturus? Et in epist. 107. dicit: Hæc est illa Pelagianorum mala, malè difamata, meritoq; reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente damnari, in Orientalium Episcoporum iudicio damnata sententia, qua dicunt gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, &c. Infra: Si enim, quod scriptum est Ps. 36. A domino gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. Et Philip. 2. Præparatur voluntas à Domino; Et Deus est, qui operatur in nobis, & velle. Et multa huiusmodi, quibus commendatur vera Dei gratia; hoc est, quæ non secundum merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia preuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusq; inuenit in corde, sed facit. hæc Augustinus. Et quid clarius? Ad sunt & aliæ Augustini sententiæ ad hoc probandum, quæ breuitatis gratia omittuntur; & hæc sufficient ad præsens, & dicamus, quòd si vera esset Hackeri, et aliorum modernorum assertio, Omnes Theologi, qui nos præcesserunt, & Thomistæ, & Scotistæ, ac alij omnes in proponendo questionem de conformitate liberi arbitrij cum voluntate Dei. An scilicet homo teneatur cõformari diuinae voluntati in voluto, vel in modo volendi, & similia, errassent. Quò, si Deus, iuxta dispositionem voluntatis, gratiam tribuit; Questio præponenda erat, de conformitate voluntatis.

luntatis Dei, cum voluntate humana. Et sic in Hæcero, & istis fuisset solummodo Theologia conseruata. Quid tibi videtur de istis hominibus, bone Lector non ne magni faciendi sunt, cum in tanta finitæ celsitudine positi, vt Deus ipse eorum se accomodet voluntati? Nunc ad alias rationes.

Ad illud D. Anselmi. Omnis voluntas sicut habet quid, ita habet cur: Igitur & Diuina, si aliquem prædestinat, propter aliquam causam prædestinat, &c. Respondeo, dicendo, Anselmi dictum in voluntate creata, quæ ratione regulatur, veritatem habere, non autem de diuina, quæ prima regula est, atque cur omninò caret; vnde ad interrogationem, cur Deus prædestinat illum, & non alium; responderi potest; quia sic ei placuit. Vel dico, in Deo, cur rationem generalem dicere; scilicet, vt eius bonitas innotescat: sicut de cæco nato Christus expressit. Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed, vt manifestaretur gloria Dei in illo.

Ad illud. Sicut ex demeritis reprobatur, ita ex meritis prædestinatur, &c. Negatur consequentia, & ratio negationis est; quoniam reprobando ex iustitia facit, & hinc demerita præsupponit. At prædestinando, cum ex liberalitate faciat, proinde merita non præsupponit, nec postulat. vnde fit, quòd regula illa: Sicut propositum in proposito, ita oppositum in opposito, hic, locum non habeat.

Ad illud. In rebus omninò æqualibus electio nominari nequit: Igitur si istum prædestinat, & non alium, aliqua est differentia electi à non electo, &c. Dico, hoc de voluntate creata, cui rectè amandi gratia, ratio est respectu amabilis; & non de diuina, cui præter essentiam suam, nulla ratio amandi est, respectu cuiusvis boni. Nullum enim bonum à Deo diligitur, quia bonum; sed è contra, quia diligitur bonum est: proinde, acceptator personarum dicendus non est, cum in eis bonitas, quæ ratio amandi est, minimè reperitur. Denique in hominibus electio propter idoneitatem est, de duobus namq; semper magis idoneus eligitur. In Deo verò non, qui nullam in electis ab eo, dispositionem desiderat; sed per se ipsum idoneos facit; iuxta illud Apostoli: Fecit nos ministros idoneos.

Ad illud. In cunctis operibus misericordix concurrunt iustitia, &c. Concedo totum: Nam & si ex gratia prædestinat, ex iustitia, opera nostra requiruntur; primò namq; & principaliter, prædestinatio ex Deo est, accessoriè, & secundariò ex meritis nostris, quæ subintelliguntur tanquam media ad finem.

Ad illud. Si ex gratuita bonitate vnum prædestinat, alium verò non; non videtur summè bonus, quia non summè communicatiuus, &c. Dico, si eam bonitatem cum liberali communicatione manere, licet omnibus æqualis non sit. Potest enim summè bonus, duobus

equalibus apprehensis, ex liberalitate sua vni se communicare, & non alteri, nec ex hoc ei fit iniuria, vel iniustitia, cum debitor non sit, nec teneatur.

Ad illud. Si duo æquales in naturalibus, &c. R. cum Scoto, dicendo: Quod quando sunt aliqua volibilia, ac ad aliquem finem ordinabilia, & ex parte eorū, rationem propter quam ab aliqua voluntate volenda sunt, teneāt: voluntas præacceptans vnum illorum, alteri ad illum finem, peccat secundum acceptionem personarum: sicut est omnis voluntas creata, quia respectu illius boni amabilis, recta ratio amandi adest. Non sic voluntas diuina, & increata respectu alicuius boni, ab essentia sua. Nullum enim bonum, quia bonum, ideò amatur ab illa voluntate, vt dictum est; sed è conuerso, hinc personas acceptare nequit, cum in eis bonitas deficiat, quæ sibi sit ratio amandi.

Ad illud. Deus voluntate antecedenti vult omnibus gloria tribuere, quæ voluntas est ante præuisionem meritorum; Ergo, cum huiusmodi voluntas gloriam tribuere non decreuerit; sequitur nullum efficaci voluntate ad eam, nisi ex meritis, electum fuisse. Respondeo, consequentiam negando, & ratio negationis est; quoniam tum voluntas inefficax, tum voluntas efficax meritorum præuisionem præcessit, vt satis perspicuè in prima nostra ratione ostensum, ac alibi abundè dictum est.

Ad extremum. Quandocumque media sunt causa moralis, &c. sed in casu nostro merita, & media ad gloriam sunt causa moralis: ergo, &c. Negatur minor, tanquam falsa: nam in intentione non ex meritis, sed ex sua bonitate, & liberalitate Deus prædestinat; vt D. Thomas, & Thomistæ; Scotus, & Scotistæ, tanta stabilitate sustinent: vt facilius sit Ioui (vt dici solet) suum fulmen eripere, ac ex Herculis manu clauam detrahere, quam eorum sententiã infringere: quemadmodum vnusquisque, ex his, quæ laconicè explicauimus, coniectura assueti qui valebit.

*Soli DEO honor, & gloria, ex liberalitate
ad gloriam nos prædestinanti.*







